5.3 354

Digitized by Google

5
3
324

Digitized by Google



Digitized by Google

COMMENTARIVM INSERVITVRVM HISTORIAE PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI

AVCTORE

IOHANNE CALVIO

CREMONENSI

PVBLICO PISANI LYCEI PROFESSORE

IN CATHEDRA MEDICA PRIMA

PISIS ANNO MDCCLXXVII.

EX TYPOGRAPHIA FRATRVM DE PIZZORNIS

PRAESIDIBVS PERMITTENTIBVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRO LEOPOLDO

REGIO PRINCIPI HVNGARIAE

ET BOIOHEMIAE

ARCHIDVCI AVSTRIAE

MAGNO ETRVRIAE DVCI

ETC. ETC. ETC.

PIO IVSTO PROVIDO BENEFICO LIBERALI

SCIENTIARVM ATQVE ARTIVM FAVTORI

PRAESENTISSIMO

HOC OBSEQVI ET VENERATIONIS

MONVMENTVM

LONGARVM CVRARVM FRVCTVM

IOHANNES CALVIVS

DEDICO CONSECROQVE.

Digitized by Google

Explicatio Proſpectus

Digitized by Google

Explicatio Proſpectus,
ſeu Tabulae Ichnographicae,
Piſani Vireti Botanici Academici,
quale erat etiam anno 1723,

a quo anno ad vertentem annum 1777 auctum fuit commodiori Hypocauſto peralto; tum novo *Tepidario* duplici; tum novo insigni Aditu publico ad occidentem Solem adaperto, et elegantiſſimis maximiſque Cancellis ferreis inſtructo; tum inſtaurati Muſei facie, ornata fontibus, teſtaceisque corporibus, ad ſpecus formam compoſitis.

1. Topiarium magnum, inſtar Tentorii, Cupreſſinis Arboribus flexilibus, et ferreis catenis circumdatum.
2. Vmbraculum primum venuſtum, opere topiario, Citris arboribus, et Citroidibus Poma ſuaveolentia ferentibus inſtructum, et fontibus ornatum.
3. Vmbraculum alterum, Citroidibus Florentinis repletum.
4. *Vaporarium* pro Plantis Americanis.
5. *Vaporarium* geſtatorium.
6. Locus pro Plantis AEgyptiis, aquam reſpuentibus.
7. *Vaporarium* cum laminis vitreis fixum ad Semina vegetanda.
8. Paries per totam longitudinem Aurantiorum Vliſſiponenſium, aliarumque Arborum Poma ſuſtinens.
9. Feneſtrae Hypocauſti.
10. Feneſtrae Hybernaculi.
11. Platea cum variis Aloës Plantis.
12. Nemus exoticarum et indigenarum Arborum.
13. Hydrophylacia, ſeu Caſtella.
14. Locus pro Plantis montanis, et ſilveſtribus.
15. Laboratorii Chimici (in quo Antlia Pneumatica haberi, et cuſtodiri incepit anno 1699, ibique ſer-

vata fuit usque ad annum 1752, et in quo Experimenta Pneumatica etiam fiebant) pars externa, respiciens Viretum, et variis fontibus, atque lapidibus figuratis ornata.

16.Pergulae Laurorum.

17.Prunorum diverſae Arbores, murum tegentes.

18.Aurantiorum Arbores.

Diviſio Plantarum ſecundum earum naturam,
Areolis contentarum.

19.Locus Herbis tantum Hortenſibus repletus.

20.Locus Acanaceis Plantis,

21.Locus Plantis Vmbelliferis.

22.Locus Plantis Paluſtribus.

23.Locus Plantis Venenatis.

24.Locus Plantis Odoratis.

25.Locus Plantis Bulboſis.

26.Locus Florilegii.

27.*Vaporarium* fixum, ac fimo equino repletum, ubi Ananas, et ſimiles Exoticae Plantae aluntur.

28.Oſtium primarium, aperiendum.

SAPIENTI

SAPIENTI et BENEVOLO LECTORI

Typographus ſalutem perpetuam dicit.

Quum verum ſit praecipue id, quod ſcriptum a Paullo Manutio *ad* Alphonſum Caraſam *legeris facile, ſcilicet* ſaepe facimus, ut acerrima vituperatione &c. deprimamus ea, quae interdum efferri laudibus oporteret: *hic ideo Hominibus aliquot, curaturis fortaſſe, ut deprimant librum hunc, oppono quatuor epiſtolares libri eiusdem laudationes iuxta ordinem temporum, quibus ſcriptae a Sapientibus Viris proprio animi motu fuerunt. Eas forte legi autographas, & exſcripſi apud Cl.mum ipsius huiusce libri auctorem* Iohannem Calvium, *oriundum ab Roma: Cremonensem Patria Naturae: Mediolanensem Patria Civitatis, quum Maximus Mediolanensis Senatus (honoribus aliis anno* 1745 Calvio *eidem impertitis) eum fecerit Civem Mediolani anno* 1749, *in quo Senatus idem voluit conferri ipſi* Calvio *privilegia etiam aliqua uſque in principio incolatus, quo inde annis XIV. Mediolani praeclare fecit medicinam:* Pisanum *denique tribus abhinc lustris Professorem publicum* Pisani *huius Lycei in Cathedra, quae in ordine medico ſuprema eſt, sicuti eruditissimus quondam Lycei eiusdem Historiographus, & Profeſſor IC.* Fabbruccius *scripsit in quinta octavi sui Opusculi paragra-*

grapho, typit editi anno 1750 *in* 43.° Calogerianae *Collectionis primae tomo.*

I. Ex iis Epiſtolis autographis legitur Particula Epiſtolae Praeslarissimi quondam Nobilis Florentini, et Praesidit, atque a Sancsioribus Consiliis Regiis, Pompeii Neri, *scripta* die 20 mensis Iulii onni 1776 *Florentiae, et missa Pisas ipsi* Iohanni Calvio, *nempe „Ho profittato dei primi momenti di libertà, che ho „avuto per leggere la parte prima, o metà del suo libro, che „Ella mi ha mandata, e she ho letta con tutto il piacere per „le diverſe notizie importanti, che Ella vi ha riunite, e „che fanno onore all' Istoria Letteraria di codesta Univerſità. „Mi rallegro infinitamente per la plauſibile fatica, che Ella „ha fatto, e che ſpero in breve di vedere perfezionata, nel „quale saso, se Ella sarà per portarla a Firenze in persona, „Ella sà she Ella ha in queſta mia abitazione il solito quar„tiere alla soa disposizione &c„.*

*II. Ibi legitur itidem Particula Epittolae missae eidem Austori*Calvio die 23 mensis Augusti anni eiusdem 1776 *Florentia Pisat a Doctiſſimo Pitanae Academiae Professore Publico Ordinario* Philippo della Pura, *et Vice Rectore, scilicet „Giunto in „questa Dominante mi sono presentato a Sua Eccellenza* Neri, *„a cui ho fatti li di lei complimenti, ed Egli ne ha mostrato tutto „il gradimento, avendomi richieſte ſpecialmente delle di lei „nuove. E devo rallegrarmi son Lei del giudizio, stato dato da „Sua Eccellenza ſopra la prima porzione, o metà della di lei „Opera, concernente la Scoria del Giardino Botanico Pisano, la „quale, come Egli mi ha detto, ha letta con piacere, e l' ha ri„trovata bene scritta, e fesonda di notizie utili &c„ .. Idem* Pompeius Neri *neutiquam potuit completum librum hunc videre, eo quod praematura mors tantum Virum idibus Septembriis ipsius anni* 1776 *rapuerit.*

III. Ibidem legitur Particula Epistolae Nobilis Pistoriensis Praeclarissimi Praesulis, et Equitis XIIViri, atque Academiae Pisanae Curatoris Vigilantissimi Angeli Fabronii, *scripta Florentiae, et missa Pisat* Calvio *ipsi* die 26 mensis Octobris eiusdem anni 1776. *„Io la ringrazio senza fine delle sue nuove, e della „stampa della sua Opera, che escirà al Poblico situra della „approvazione dei Dotti &c„.*

IV. Ibidem denique videre est Particulam Epittolae Nobilis

Digitized by Google

bilis Florentini Auditoris Iurisconsulti Antonii Mormoraii, *pro Pisana Sacra Militari Equestri Religione Sancti Stephani, et pro duabus Academiis Pisana et Florentina Auditoris apud Regium Magnumque Etruriae Ducem, scripta* die 15 Aprilis anni vertentis 1777 *Florentiae Pisas eidem* Calvio, *videlicet* „*Avendo io presso di me molte notizie originali, relative a* „*codesto Orto Botanico, io voleva farlene parte. Ma le mie* „*moltissime occupazioni non mi permettendo di separarle da* „*quelle di altro genere, non ho creduto dover indugiar di più* „*a renderle grazie del piacere di anticiparmi la lettura di* „*parte della di lei Opera, la quale a me pure per tutte le ragioni* „*commendabile. Mi congratulo coll' Orto Pisano, cui è toccato* „*in sorte un così degno Scrittore &c.*„

Haec volebam Te edoctum, *SAPIENS*, *et BENEVOLE LECTOR*, *prius, quam proximae Auctoris Praefationi, caeteriſque huius libri paginis oculos admoveres. Vale.*

Digitized by Google

PRAEFATIO

Digitized by Google

PRAEFATIO

CVr de scribendo cogitarem hoc Commentario in caussa fuit Epistolae Pars, Venetis typis anno 1767 edita, quae de Botanicis Italiae Hortis agit. De Botanico Vireto, quod Pisanae Academiae addictum est, ne verbum quidem legitur in eius Epistolae Partis columna quarta, in qua legi oportet. Amicis ego verbis conquestus cum Auctore de silentio huiusmodi, meum consilium Auctori ipsi aperui. Plures ideo Pisani huius Academici Archivi ineditos codices perlustravi, et quorumdam editorum etiam librorum ope, vulgatas Botanicorum Viretorum Academicorum epochas trutina examinavi, et contuli. Consequutionem erui indictam ore alio, seu non prius auditam a Viris singulis, quibus ipsam significavi, Pisanum nempe Viretum Botanicum Academicum esse ceteris Viretis Botanicis Academicis antiquius, atque idcirco esse primo genitum contra Virorum plurium de id genus epochis scriptorum traditiones.

Maiorem ideo Vireti eiusdem Pisani aetatem paucis paginis vindicare nisus sum, quibus titulus *Vindiciae Pisani Vireti Botanici Academici* a me adpositus fuit. *Vindiciarum* opportunitate, quae sunt Commentarii pars prima, alteram efformavi partem haud ita brevem, et adnexui, eamque *Pisanum Viretum Botanicum Academicum* inscripsi. In hac parte altera ab aliquibus editis Historiae Vireti ipsius particulis data opera temperavi, selectis quae referrentur dignioribus; alias complevi; inedita varia adtuli; demum veritati reddidi ea, quae in lucem prodita a *Dominico Vigna*, Pisani Lycei Professore olim Botanices, a *Guernero Rolfincio* Lycei Ienensis Botanico itidem Magistro, et ab aliis Viris scriptoribus, nonnihil a veritate ipsa aberrabant. Chronologicas praecipue exposui notitias de Viris, qui Vireto eidem Praefecti fuere, et qui in Pisano Lyceo Historiam Naturae docuerunt,

• • exce-

Digitized by Google

exceptis a me notitiis de Professoribus illius Historiae Naturae partis, quae Humani corporis Anatomen tradit. Alia vero commemoranda suis respective locis visa mihi fuerunt Instituta, stabilita inde sensim a Magnis Etruriae Ducibus, et cognata quodammodo illi Naturae Historiae parti, quae Viretorum Botanicorum parens est. Heroës etenim Magni Duces *MEDICEI* splendidissimis liberalitatibus immensa toti Humano generi beneficia largiti fuere, quum plurima auri vi curaverint, ut antiquissima omnium Naturae Rerum contemplatio denuo institueretur, a multis iam fere desita seculis, atque Experimentales pervestigationes theoreticis coniugarentur, excolerentur saepe, et diffunderentur. Quum Pisanum Lyceum *Cathedra Historiae Naturae*, et insigni *Botanico Vireto* munitum decoratumque fuerat, addita alia Instituta fuerunt sensim, *Musei* nimirum *Rerum ad Naturae Historiam* spectantium: praeclari *Elaboratorii Chemici*: *Scholae publicae Medicinam Chemicam tradentis*: inde *Pharmacopoeii*, seu *Officinae Medicamentorum*, in cuius naturam migravit *Elaboratorii Chemici* Pars: quae duo sita fuere prope et supra vestibulum Vireti ipsius, Pharmacopoeio illo nominato *la Fonderia del Giardino*, ubi innumera parabantur etiam adoptata medicamenta, et de Naturae Rebus Experimenta fiebant. Prae Institutis vero ipsis celebrandum famigeratissimum, fulgentium omnium modo Academiarum Europae exemplar, *Academia* Experimentalis, quae *del Cimento* adpellabatur, et cuius Socii fere omnes, brumalibus praesertim mensibus, solebant, uti patebit, commorari Pisis,

Ver ubi longum, tepidasque praebet
Iuppiter brumas.

Alii porro ex illius Academiae Sociis Magno Duci *FERDINANDO II*, huiusque fratri Principi *LEOPOLDO* addicti erant, alii Pisano Lyceo. Memorandae quoque

quoque *Astronomiae Physicae* Cathedra, atque dicata *Historiae Coelestis Naturae*, seu fixorum Siderum, Planetarum, et Cometarum, aedificatio *Speculae Astronomicae*, rarioribus nunc exactissimis ac maximis Telescopiis, Quadrantibus, &c., divitis. Demum sane percelebrandae Institutiones *Cathedrae* publicae ad *Physicam Experimentalem* declarandam, et opulentissimi pro diversissimis, innumerisque, Experimentis Phyſicis *Theatri Machinarum*, quibus sagaciter Natura interrogetur, detegaturque. De hisce etiam singulis verba chronologice me facere summatim saltem debere quodammodo duxi, quum ipsa singula analoge, ut Botanicum Viretum, ad aliquam e variis Historiae Naturae universae partibus pertineant, quas inter connexio quaedam, sive cohaerentia, animadvertitur.

Dum Commentarium idem effingerem, ut plurimum brevis esse laboravi, ne Virorum quorumdam lassos onerarem oculos sapientiorum, qui thematum succum tantummodo, sive ſpiritum, ut aiunt, mallent, et fere indignantur excitationes librorum, eoque magis textus, quos se legisse adverti a Scriptoribus exigunt. Verum alicubi malui a Plerisque intelligi paullo plenius, quam ut Pauci me ipsum interpretarentur, brevitate nimia obscurum, vel nimis ieiunum. Praeterea fretus consensu, ac iudicio, fui Virorum sapientiorum eorumdem, qui tangi sibi sinent pectora a commodo Hominum plerorumque minus sapientum, et valde dissitorum, carentiumque laudatis libris: quo commodo, seu utilitate, nihil Homini debet esse antiquius, ut primo *De Officiis* libro scripsit *Tullius*. Nemo nescit, revera Homines minus ſapientes, vel dissitos admodum, ab eiusmodi librorum notitiis crebro iuvari, et ad Ipsos scribi debere identidem aliter, ac ad litteratissimos Viros, vicinosve. Sub singulis Capitibus rerum, unico *Adnotationum* nomine, coëgi tum librorum

Digitized by Google

excitationes, tum fugaces aliquot animadverſiones, ut a praedictis Viris ſapientioribus, vicinisve, poſſint uno oculi ictu praetermitti, quotieſcumque ipſas illi iam calleant, vel minoris momenti inſtar habere eas incoeperint. Opus autem inſcripſi *Commentarium Inſerviturum Hiſtoriae Piſani Vireti Botanici Academici,* ut tum qui epidemico obtrectandi morbo laborantes, tum qui alio animi motu ducti, minus probabunt noſtra, intelligant, ita praevie a nobis fuiſſe quodammodo invitatos, ut meliora candidi impertiantur, vel addant, periculumque faciant arrepto potius calamo, quam clandeſtinis, ineptiſque, voculis ſuſurrent. Vtique nos, a diſſimilibus interrupti ſtudiis, fortaſſe aliqua omiſimus, quibus Commentarium tolerabilius evaſiſſet. Ceterum ea aetate vivimus, qua omnia fere nova, uſque doctiorum Virorum, Opera publicae taxationi subiiciuntur iniuria ita, ut eo verius in dies *Senecae* eſſe obſervetur effatum: ***numquam tam bene cum rebus Humanis agitur, ut meliora omnibus placeant.*** Neque me fugit, ſcriptores quoſdam Viros fere veniam uſque petiiſſe beneficiorum, quae propriis Operibus luce publica donatis adtulerant.

Praefigendum hic loci videri fortaſſe poſſet Compendium, quo Botanicae ſcientiae progreſſus in primis traderentur. Illud vero miſſum feci, quum eiuſmodi iam ſibi negotium de Botanicae Rei progreſſibus publice ſuſceperit, docteque exegerit *Tournefortius* potiſſimum, atque ideo, ut ita dicam, *opiner,*
Omnibus et lippis notum, et tonſoribus eſſe.

Animadverti iuvabit, Botanica Vireta, hodiernumque eximium Botanicae ſcientiae ſtatum, ab uno ex utilibus variis opinionis erroribus imperitae Multitudinis plerorumque ſaeculorum derivaſſe, ab immoderata nempe fiducia ſuper Medicis Plantarum poteſtatibus

tibus

Digitized by Google

tibus, e quibus plerasque Multitudo sibi opinionis errore finxit. Potestates eiusmodi a primaevis Hominibus adoptatae fuerunt vel solius vegetabilis cibi necessitate, ab innumeris scriptoribus Viris adserta, vel ipsius vegetabilis cibi commixtionis occasione cum cibo carnis, etiam sanguine madentis, sicuti *Xaverio* videtur *Matteio*, Iurisconsulto Calabro doctrina et eruditione eminentissimo. Adoptatae vero fuere multo saepius per iudicii anticipationem, quam per constantissimos, atque innegabiles, quarumdam Plantarum effectus vel salutares, vel nocuos, demonſtratos ab observatione earum, quae aut prodesse solerent, aut obesse. Eo modo parva prima manarunt Herbariae Rei studia vetuſtissimorum temporum, quibus germinans Ars Salutifera constitisse simplici Plantarum videtur usu, primum externo, inde et interno. Qui Medicus Plantarum usus, sicuti *Homerus* innuit, ab AEgyptiis fiebat multo ante *Agenoris*, et *Chironis* tempora. *Cornelius Celsus* recitat, imperitissimas, antiquissimasque, Gentes novisse Herbas, aliaque promta, in auxilium vulnerum, morborumque. Frequentissima autem per tot saecula iudicii anticipatio, quae commune ipsorum vitium fuit, eo processit, ut aliquas Medicas Plantarum potestates notas esse plerisque etiam bestiis (*a*) perscriptum sit; imo deberi capris, pecudibus, canibus et felibus usum deglutiendi Paeonias, ſeu Medicas Herbas; a beſtiis ipsis didicisse casu Pastores potestates ipsas, ut et deberi casu Ciconiis Medicam syringis, atque clysterum inventionem, a Ciconiis primo ostensam, dum rostro eaedem sibi invicem clysteres adplicare viderentur. A veritate quidem, ſed minus frequenti, aliorum casuum detectae fuere Plantarum aliquot proprietates, super quibus iteratis-

(*a*) Traité de l' Opinion, ou Memoires pour servir a l' Histoire de l' Esprit Humain par M. *Gilbert-Charles le Gendre &c.* Tome prémier &c. 1735.

tissima experientia constans remedia aliquot docuit antiquiſſimos Homines, qui ab aliis inde etiam Rebus Naturae hauriri pharmaca sibi blandiebantur. Hinc Naturae Rerum contemplatio, et morborum curatio, sub iisdem Auctoribus natae fuerunt, ideoque multi ex antiquis Hominibus contemplationis Rerum Naturae quodammodo periti fuere. *Pythagoras* vero, ac *Democritus*, quod ad Medicas Stirpium potentias adtinet, de hisce scripsere primi, anteaquam *Empedocles* sexum, et sensum, Plantarum prior subspicaretur.

Evidentes aliquot Plantarum vires nemo sanae mentis inficias iverit, ut a Peruviano cortice intermittentes febres fugari; a Rhabarbaro, Scammonio, Ialapa, Sena, ceterisque, alvum solvi; ab Ypecacuanha, &c., vomitum ſuſcitari; a Papaverum capsulis, ac succo, vel opio, soporem conciliari, et perpetuum usque adscisci: quem etiam
...... *mixta viro tritis Aconyta Cicutis*,
aliaeque Plantae, dicuntur Humano corpori viventi inferre. Quum vero de ambiguis, nulloque re vera probante modo demonstrabilibus, agitur iactatis Medicis potentiis plerarumque Stirpium, aliarumque Naturae Rerum, *Epicharmi* sententiae insistendum proferenti, quod *nervi, atque artus, Sapientiae sunt non temere credere*: quod ipsum sentientes summi pauci Viri *Theophrastus Eresius*, *Asclepiades* Bithynus, *Galilaeus Galileius*, atque horum Sectatores, addubitare docuerunt de non evidentibus Plantarum, aliarumque Naturae Rerum Medicis virtutibus.

Perspicax ille, ob divinam eloquentiam ab suo inſtitutore *Aristotele* appellatus *Theophrastus*, qui tribus ante ortum *Christi* saeculis floruit, suo *de Historia et Caussis Plantarum* Opere (quod *Bodonus Stapelius* praesertim ampla eruditione prosequutus est) quingentas inter et sexcentas Plantas peritissime describens, egit quidem

de

de ipsarum natura ac differentiis, explicuitque phaenomena, ad earumdem germinationem vegetationem culturam ac vitae durationem spectantia, sedulusque fuit quidem in describendis singularum Plantarum forma, aliisque circumstantiis; in describendis vero usibus non item, qui Humanae salutis caussa hauriri tamquam remedia credebantur. Sagaci huic diffidentiae *Theophrasti* solerter adhaesisse 130 circiter post annos videtur *Asclepiades* Bithynus, quem *Tullius* ob mire dilucidam et elegantem eloquentiam laudavit. *Celsus* retulit, *Asclepiadem* magna ex parte mutasse medendi rationem, etiam quia *Pythagoras*, *Empedocles*, *Democritus*, *Hippocrates*, aliique, sic artem Medicam exercuerant, ut in diversas curandi vias processerint. Qui *Celsus* alibi narrat, recentiores quoque Medicos in *Hippocratis* curationibus mutasse, dum tamen faterentur, *Hippocratem* ipsum signa morborum optime praesagisse. Equidem *Asclepiades* idem, sicuti *Cocchius* etiam adnotavit, Naturae Historiam callebat, peritiamque suam eiusmodi ad nos suorum fragmentis Operum transmisit circa Aromata, aliasque Naturae Res. Quae fere omnia reiiciebat *Asclepiades*, uti innuit *Pedacius Dioscorides*, qui annis 230 post *Asclepiadem* sub *Neronis* ac *Vespasiani* imperio floruit, redarguens ipsius Sectatores *Asclepiadis*, eo quod Plantarum descriptiones, ab iisdem Plantis desumtas, anteferrent descriptionibus, quae ab adsertis virtutibus Medicis desumtae essent. *Asclepiadaea* illa antepositio sapiens eo magis eluxit, quum virtutes adsertae deprehensae falsae eo magis fuerint ut plurimum, atque imaginariae adeo, ut descriptiones illae rursus anteferri consueverint vertente saeculo, quo Botanica disciplina ad summum provecta fuit gradum, redditis Herbariae rei studio, atque peritia, accuratis, industriis, eruditis, atque ornatis, ab Viris

po-

Digitized by Google

potiſſimum *Aloyſio Ferdinando Marſilio*, *Sebaſtiano Vaillantio*, *Sherardis* fratribus duobus, *Tournefortio*, *Michelio* Florentino, *Linnaeo*, *Addiſono*, *Hallero*, et *Nicolao Ioſepho Iacquinio*. Hi etenim evecti ſupra Anteceſſorum, qui Herbariam ſcientiam coluerunt, agmen immenſum, Stirpium cognitionem eo magis promoverunt, clareque, ac ſapienter amplificarunt, ditantes melioribus Aſiae, Europae, atque Americae potiſſimum productionibus Herbariam ipſam ita, ut Viris iisdem Botanicas potiores aevum noſtrum cognitiones acceptas referat. *Dioſcorides* aliter ac *Theophraſtus*, de Medicis Plantarum poteſtatibus, indiſcriminatim veras imaginariis commiſcens, perſcripſit. Plures omiſit *Theophraſti* Plantas, de quibus nullum ſua aetate (*b*) contra morbos remedium fieri contenderetur, ſolaſque centum circiter retulit praeter illas, quae phyſice a *Theophraſto* deſcriptae fuerant, Plantis addens, ut Medicus, Animalia, et quae e fodinis eruuntur. *Dioſcoridis* Opus longe plures, ne dicam carentes numero, laudatores, aque inluſtratores, nactum fuit, prae ceteris *Barbarum*, *Adrianium*, *Ruellium*, *Mattiolum*, *Casparem* et *Iohannem Bauhinos* fratres, tum et Illos bene multos, qui e Gymnaſiorum Cathedris Opus ipſum explicuere iuſſi ob inſitam pleriſque Hominibus ad ea facile credenda, quae vellent fieri, proclivitatem. Quae proclivitas ſenſibus blandiens, atque gratum gignens errorem, cauſſa fuit, cur ſe quodammodo ſeduci a *Dioſcoridis* Opere Multitudo ſiverit. *Theophraſti*, et *Aſclepiadis*, et Sectatorum utriuſque dogmata poſtpoſuit, uſquequo inveterata adeo ſuper Medicis Plantarum poteſtatibus fiducia, quae commune fuit vitium temporum, ut diximus, denuo tandem verſus decimi et ſexti finem ſaeculi decreſcere paullatim occoepit, quum *Ga-*

(*b*) Hiſtoire de la Médécine &c. par Daniel le Clerc. &c. A la Haye 1729.

PRAEFATIO

Galilaeus Galileius (per quem in Italia resurrexit Sapientia potior) explicuit, atque provulgavit Hiſtoriae Naturae scientiam, cuius partes aliquas ab *Andrea Caesalpino* Arretino, Pisani Gymnasii Professore, didicerat. *Galileius*, dum excolendae scientiae Hiſtoriae Naturae voluptatem suscitavit iterum, exemplo in primis *Anaxagorae*, *Democriti*, et *Epicuri*, aliquas horum adoptandas denuo opiniones proposuit, iterumque duxit Homines ad mechanicarum caussarum perquisitionem, a quibus sensiles rerum adparentiae gignuntur. Hinc palam edocuit, minime fidem adhibendam esse traditionibus de adsertarum caussarum connexione cum adscriptis effectibus, nisi prius iterata pluries et sapienter experimenta, atque observationes diligentissimae, exclusis iudicii anticipationibus, semotisque, id permiserint, atque suaserint: qua etiam in re *Isaacus Newtonus Galileium* imitatus est, adfirmans ea solum credenda esse, quae vera demonstrantur iis modis. Quod ad tributas Plantis plurimis, aliisque Naturae Rebus, potentias Medicas adtinet, fiducia iterum decrescere, visa fuit, posteaquam dogma eiusmodi depraedicaverant praeſtantiores *Galilei* Alumni, qui Medicae scientiae nomen dederant, e quibus instar omnium *Lactantius Magiottius* domo Monte Varchio, *Franciscus* inde *Redius* Patricius Arretinus *Magiottii* Alumnus, post *Redium Thomas* praecipue *Puccinius* Pistoriensis inter Alumnos alios *Redii* doctissimos, post *Puccinium Antonius Cocchius* Florentinus Mucellanus *Puccinii* Alumnus, Aliique, qui singuli minus veras, imaginarias saepe, adfirmatorum remediorum virtutes esse repetebant. Externorum hinc etiam aliquot Hominum Medicorum inlustrium sententia fere eadem, sicuti *Guidonis Patinii* Parisiensis, paullo post elapsi medietatem saeculi, ut et Praeclarissimi aetatis nostrae *Halleri*, qui hac super re typis

*** edidit

edidit verba (*c*) „ Inter millenas Stirpes vix centum sunt, „ quarum Medica vis nota sit „ .... „ (*d*) Virium Stirpium „ longa adest enumeratio, et supra verum &c.. Vires „ Medicas, numerosas admodum, *Dioscorides* recensuit, „ quibus aegre eventus satisfecerit „.

Attamen Botanice numquam desinet esse potior Medicae scientiae pars, eo quod vetustissmus frequens error ſit gratus communiter ſere, sicuti innuimus, ideoque inextricabilis. Praeterea etiamſi fides errori ipsi, seu illusioni, satis derogaretur aliquando, et in ea derogatione Homines perseverarent; nihilo minus utilissima adhuc essent Rei Botanicae studia, ideoque Vireta Botanica. Botanice etenim civilibus usibus eximie opportuna est, Artibus videlicet plerisque, vel Opificiis, quae Humanae vitae sustentationi et commodis inserviunt, materies suppeditat, vel auxilia; ceteris Animantibus alimenta, aliaque subsidia (*e*). Praeter immensam insuper, quam Botanice excitat, conciliatque iucunditatem portentosa illa figurarum colorum odorum saporum varietate, et contra specifica conſtantia, quae a frondibus floribus et fructibus praeſeferuntur, iucunde edocet, quomodo Plantae per signa huiusmodi in classes, in genera, in species, iuxta relativos characteres conlocatae fuerint iuxta varias Magistrorum Botanicorum methodos. Quarum methodorum tabulam, ipsarum praeſtantiae gradus prae se ferentem, edidit *Adansonius*, *Tourneſortii* admirator, pronuncians nullam huc uſque dari methodum potiorem *Tourneſortiana* methodo, atque hanc ipsam, e floribus et fructibus desumtam, eſſe Naturae conformiorem. Bonanice praeterea novis aliis, planeque diverſis, cognitionibus

(*c*) Primis Adnotationibus super *Method. Studii Medici Boerh.*
(*d*) *Bibliotheca Botanica* Tiguri. 1773.
(*e*) Caroli Linnaei De Usu Historiae Naturalis in vita communi. 1766.

tionibus adipiscendis confert, si intimarum partium vegetabilium studium Microscopii ope excolatur, quod ante omnes Cl. *Caesalpinus* ille potuit admovere investigandis ipsis intimis Plantarum partibus, eoque plures huiusmodi cognitiones adipisci paucis ante obitum annis. Quae omnia *Malpighius* inde, Pisani eiusdem Gymnasii Professor, atque doctior in Etruria factus, inlustravit, amplificavitque, sicuti sua Plantarum Anatome demonstrat. Perscrutatus ipse fuit diligentissime intimorum vasorum, radicum, trunci, corticis, glandularum corticis, ramorum, bulborum prolificorum, foliorum, florum, et fructuum structuram, ut et Animalia a minimis Humani Corporis partibus ad minutissima, quae nuncupantur *Insecta*. *Malpighio* debent in primis *Grewius*, *Hartsoëckerus*, *Leeuwenhoëckius*, *Royenius*, *Needhamus*, *&c*, qui exacta inde et ipsi descripserunt exiguissimarum huiusmodi partium Plantarum historias, initio desumto ab earum origine in semine usque ad expletam ipsarum evolutionem, perfectumque incrementum. Id multae Virorum illorum super Plantis observationes testantur, atque experimenta, in Philosophicis Londinensibus Transactionibus, Regiaeque Parisiensis Academiae Scientiarum Actis. Quos vero Auctores supereminuit *Halesius*, auctor sagacissimus *Vegetabilium Statices*, nactae a mirandis *Halesii* experimentis fundamenta solidissima, magnosque continentis progressus in indolis Plantarum cognitiones, atque in *Aëris Analysim*, quae *Macbridium*, *Priestleyum*, aliosque Recentiores de Aëre, ut aiunt, fixo scriptores, excitavit. Statica unice methodus, tuto docens copiae nutritionis mensuram, quam Plantae hauriunt, et copiam perspirationis earumdem, demonstransque modum, quo anni temporum, ac meteororum immutationes in Plantas agant, Observatores duxit inde perspicaces ad

ingeniosa plura alia capienda experimenta, et ad magis detegendas Animalia inter et Plantas analogiam, et connexionem inter tria Naturae, ut aiunt, regna, a quorum uno ad alterum per insensiles fere migratur gradus. Quas detectiones omnes ne dum inlustrari, sed et in dies amplificari posse eo magis, nemo non videt, si observationes, atque examina, super intimis praecipue partibus saepe, ac diversimode, repetantur. Id praeterea exigit Scientiarum connexio etiam, ob quam Botanico Vireto amplissimi huius, ac celeberrimi Encyclopediae pulchrarum Artium Theatri et Domicilii, liberalissima Magnorum Etruriae Ducum magnificentia, additae fuerunt tot praedictae ad reliquos Historiae Naturae ramos cognoscendos Inſtitutiones, quarum ope Natura, suis continuo latebris ac recessibus occultata, sinere se perspici cogatur haud raro, ut Iuvenes, Medico potissimum studio addicti, et nati melioribus annis, pares fiant ne dum soli Botanicae addiscendae, verum etiam inspiciendis quodammodo pluribus partibus immensi prospectus, atque limitibus carentis, totius Hiſtoriae Naturae. De addictis autem potiſſimum studio Medico Iuvenibus dicimus, quia, ut *Celsus* ait, *Naturae Rerum contemplatio, quam non temere Medici sibi vindicant, quamvis non faciat Medicum, aptiorem tamen Medicinae reddit*.

Ceterum non farraginem hiſtoricam daturus sum, mihique blandior sapientiſſimos litterarum Iudices aequos nequaquam exacturos grandia, neque splendida, ab hiſtorica huiuſce natura Commentarii, ad cuius perfectionem siquid urbane ſuppeditabitur, aequi, bonique faciam.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITVM

VINDICIAE PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI

PARS PRIMA COMMENTARII

CAPVT I. Pisanum Viretum Botanicum Academicum est antiquius Patavino, et Bononiensi, et est antiquissimum omnium Viretorum Botanicorum Academicorum ——————— pagina 1.

CAPVT II. Chronologica exponitur Series, qua harum Epocharum confusio, et veluti inversio, fortuito incepit, invaluitque ——————— pagina 7.

VIRETVM PISANVM BOTANICVM ACADEMICVM

PARS ALTERA COMMENTARII

CAPVT I. De Prima Vireti Pisani Botanici Academici Sede, vel Area, et de Primo eiusdem Praefecto *Luca Ghino*. pag.ª 27.

CAPVT II. De Secundo Pisani Vireti Botanici Academici Praefecto *Andrea Caesalpino* ——————— pag.ª 41.

CAPVT III. De Tertio Pisani Vireti Botanici Academici Praefecto *Aloysio Leonio*, et de Mutatione Loci Vireti ipsius — pag.ª 58.

CAPVT IV. De *Caesalpino* secunda vice Prae-

fecto Pisani Vireti Botanici Academici, et de Quarto eiusdem Vireti Praefecto *Laurentio Mazzanga* --- pag.ª 67.
CAPVT V. De Quinto Pisani Vireti Botanici Academici Praefecto *Ioſepho Benincasa*, et de Secunda Mutatione Sedis Vireti eiusdem, seu Tertia ipsius Vireti Sede, vel Area, quae hodierna est ------------- pag.ª 71.
CAPVT VI. De Sexto Pisani Vireti Botanici Academici Praefecto *Polydoro Matthaeino* ------------- pag.ª 84.
CAP. VII. De Septimo Pisani Vireti Botanici Academici Praefecto *Franciſco Malocchio* -------------- pag.ª 87.
CAP. VIII. De Octavo Pisani Vireti Botanici Academici Praefecto *Iohanne Rocchi* - pag.ª 101.
CAPVT IX. De Nono Pisani Vireti Botanici Academici Praefecto *Dominico Vigna* pag.ª 103.
CAPVT X. De Decimo eiusdem Vireti Praefecto *Iacobo Macolo* --------- pag.ª 108.
CAPVT XI. De Vndecimo ipsius Vireti Praefecto *Pancratio Mazzanga* ----- pag.ª 115.
CAP. XII. De Duodecimo ipsius Vireti Praefecto *Matthaeo Pandolphini* --- pag.ª 118.
CAP. XIII. De Decimotertio ipsius Vireti Praefecto *Hyacintho Maidalchini* - pag.ª 123.
CAP. XIV. De XIV.° ipsius Vireti Praefecto *Dionysio Veglia* ---------- pag.ª 127.
CAP. XV. De XV.° ipsius Vireti Praefecto *Claudio Berigardo* --------- pag.ª 134.

CAPVT

INDEX CAPITVM

CAPVT XVI. De XVI.° Pisani Vireti Botanici Academici Praefecto. *Iohanne Telliero* - - - - - - - - - - - - - - pag.ª 138.
CAP. XVII. De XVII.^mo ipsius Vireti Praefecto *Thoma Bellucci* - - - - - - - - pag.ª 141.
CAP. XVIII. De XVIII.° ipsius Vireti Praefecto *Petro Nati* - - - - - - - - - - pag.ª 150.
CAP. XIX. De XIX.° ipsius Vireti Praefecto *Michaële Angelo Tilli* - - - - - - - pag.ª 156.
CAP. XX. De XX.^mo eiusdem Vireti Praefecto *Angelo Atilio Tilli* - - - - - - pag.ª 173.

Digitized by Google

TYPOGRAPHICORVM ERRORVM CORRECTIO

Etsi diligenter cautum sit, nequi errores subterfugerent, tamen aliqui subrepsere. Horum igitur caussa monemus, ipsos corrigi a benevolo Lectore posse, ut sequitur.

Pagina ultima *linea* 11 - PRAEFATIONIS -- ingenuarum, seu liberalium Artium
---- 4. *linea* 10. COMMENTARII -- (*f*), ubi edita
---------- ------ anno 1753.
---- 9. *l.* --- 2. -- generali, nominisque indigo
-----12. *l.* --- 14. -- verba (*l*) consonant
-----22. *l.* --- 8. -- operta Hedera
-----28. *l.* --- 1. -- VIRETVM PISANVM
----------- 16. -- stylobatae, hinc
-----29. *l.* --- 1. --BOTANICVM ACADEMICVM
-----30. *l.* --- 1. -- VIRETVM PISANVM
-----36. *l.* --- 12. -- Inscriptiunculam
------- *l.* --- 23. -- Inscriptiuncula
-----37. *l.* --- 7. -- intelligenda relative
-----41. *l.* --- 8. -- hederam praemia
-----44. *l.* --- 29. -- (h) maiora
-----50. *l.* --- 2. -- similitudo veri
----------- 15. -- 1572 ad 1596
----------- 17. -- 1582 ad 1584
-----58. *l.* --- 12. -- usque ad annum 1563 inserviit
-----64. *l.* --- 25. -- *PAULI BORBONII*
-----69. *l.* --- 22. -- ad annum 1593 eo munere
-----76. *l.* --- 33. -- latitudo ulnis
-----78. *l.* --- 24. -- allectis, e quibus princeps *Galilaeus Galileius* anno 1589, et numerosiorem
-----151 *l.* --- 30. -- Phoebaeam coronam
-----157 *l.* --- 15. -- Anatomes
----------- 29. -- aviditas esset
-----174 *l.* --- 23. -- illius reprobatae, quae praedicere
-----179 *l.* --- 22. -- Scholarum Piarum Clerico

VINDICIAE

VINDICIAE PISANI VIRETI

BOTANICI ACADEMICI

PARS PRIMA

COMMENTARI

Digitized by Google

Digitized by Google

VINDICIAE PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI

CAPVT I.

PISANVM VIRETVM BOTANICVM ACADEMICVM EST ANTIQVIVS PATAVINO, ET BONONIENSI, IDEOQVE EST ANTIQVISSIMVM OMNIVM VIRETORVM BOTANICORVM ACADEMICORVM.

ETsi plures supremi ordinis scriptores Viri adseruerint, Patavinum praecipue Viretum Botanicum Academicum eſſe Pisano antiquius, attamen Pisanum Viretum Botanicum Academicum instructum fuit anno aerae communis 1544; Patavinum vero decretum fuit anno 1545, inde inchoatum anno 1546; Bononiense autem conditum fuit anno 1568. Quumque ideo maioris aetatis dignitas, gloria, et ius, fortuito ademta huc uſque fuerint Pisano Vireto Botanico Academico, Vindiciae modo adduntur, ut ab Hominum mentibus infirma opinio, quae plurimum invaluit, removeatur.

Probatur Pisani Vireti Botanici Academici Epocha.

Anno 1753 Doctissimus *Caietanus Monti* Bononienſis, rei Herbariae in patria Academia Professor, rectissime ex Gymnaſii Bononiensis Tabulario pronunciavit (*a*), „ anno 1544 a *COSMA I.* Florentino Duce, *Lucam* „ *Ghinum* accersitum, in Etruriam migraſſe, ad Botanicen „ in Academia Pisana, quod ante ipsum nemo fecerat, „ profi-

„ profitendam. Fuit autem ipse auctor Duci liberaliſsimo, „ ut nobilem in ea Vrbe Hortum Academicum, et alium „ Florentiae non multo poſt inſtruendum curaret „. Hunc eumdem ipsius primordii Piſani Vireti Botanici Academici annum 1544 Cl. *Iohannes Targionius Tozzettius* (*b*) prodidit anno 1748, et anno 1754 verbis: *Fondazione del Giardino de' Semplici dell' Vniversità di Pisa nel* 1544, statim ac panderat verba: *Fondazione della Cattedra di Materia Medica, o sia Lettura di Semplici sopra Dioscoride &c. nel* 1545, *e conferita a Luca Ghini.* Quae cum huiusce Piſani Gymnaſii Actis apprime consonant, praecipue declarantibus, *Lucam Ghinum* Imolensem ipsius anni 1544 initio Pisas venisse honeſtiſſimis conditionibus invitatum anno 1543 (qui fuit primus magnificae Inſtaurationis eiusdem Gymnasii annus), atque e Bononiensi Cathedra abstractum, ac novissime conductum a prudentissimo *COSMA I*, qui, dum regeret imperio Etruriam, Scientiis et sui temporis Philosophis valde favit, atque ideo a Viris scriptoribus percelebratus est.

Probatur Patavini Vireti Botanici Academici Epocha.

Marcus Guazzius Patavinus, omnigenae, sed patriae potissimum, hiſtoriae deditus, quatuorque hiſtoricorum Operum de rebus suo tempore geſtis scriptor accuratissimus, annum 1546 (quo ipse florebat, pacificis studiis deditus) publice protulit fuisse Patavini Vireti Botanici Academici epocham, scilicet eo anno 1546 Venetos Patavini Horti medicinalis compositioni initium dedisse, ut Cl. etiam *Ludovicus Coltellinius* animadvertit (*c*). *Iacobus Facciolatus*, Patavini Gymnasii Professor, qui ſicuti anno 1739 eiusdem Gymnasii Historiam, Senatus Veneti decreto, scribere iussus fuerat, ſervato inter Professores nomine, et in Scholis loco, ideo *Fastos Gymnasii* ipsius *contexuit*, (*prae-*

(*praemissis Syntagmatibus Duodecim*, anno 1752. editis, *quibus totam Gymnasii rationem, leges, et munia complexus eſt* (*d*)), publicique iuris fecit anno 1757., ibidem verba maxime adnotanda typis praebuit (*e*), memorati Patavini *Marci Guazzii* traditionem apprime confirmantia, nempe „ Anno. 1545. &c.. Ad hunc annum „ refertur Horti Botanici inſtitutio, de quo Senatus- „ consultum XVI. Kalendas Sextiles factum eſt. Ex „ eo fundus emtus, cuſtosque delectus *Aloyſius* „ *Anguillara*, ex Bononienſi Gymnaſio accitus. Tam „ pulchra res, Scholiſque Patavinis honorifica &c. „ Eo ipſo deinde *Facciolati* opere, ſub titulis *Artium Scholae, de Horto Medico*, legere eſt verba, scilicet: „ Gymnasii Moderatores &c., auditis doctorum Virorum „ opinionibus, de eo tandem consenserunt, ut Hortus „ medicus salutaribus herbis colendis, et conservandis „ conderetur. Itaque anno MDXLV. XVI. Kal. Sextiles „ Senatusconſultum factum est, ut, quando Hortus „ huiusmodi ad rem litterariam augendam pertineret, „ et Hominum saluti profuturus esset, quamprimum „ ex pecunia Gymnastica fieret. Conductus est fundus „ in hunc usum, altera parte irriguus, extructusque „ ex forma *Andreae Riccii* Architecti celeberrimi. „ Tum accitus Bononia est anno 1546. *Aloyſius* „ *Anguillara*, qui pro ſua artis botanicae peritia Horto „ parando operam navaret, paratumque custodiret „. Hac ſuper re accuratissimus videtur *Facciolatus*. Praeterquam quod idem ipſe praecessorum *de Gymnasio Patavino* scriptorum *Riccoboni*, *Tomaſini*, et *Papadopoli* libros ad trutinam revocaverat, et cum Tabularii illius Gymnasii Actis diligenter contulerat, quum praeſatus critice sequentia fuerit, nimirum: „ *Riccobonus*, et *Tomaſinus*, in Patavini Gymnasii

A 2 „ Hi-

„ Hiſtoria paucas res, incertas, et confuſas dederunt. „ *Papadopolus* autem, nec ingenio, nec doctrina „ inferior, scholaſticis rebus vix delibatis, ad Profeſſorum, „ et Alumnorum laudes ſcribendas, quae fere, pro „ talium rerum natura, vanitate redundant, ac fallaciis, „ operam ſuam contulit „.

Probatur Bononienſis Vireti Botanici Academici Epocha.

Bononienſe Viridarium Botanicum Academicum anno 1568. inchoatum fuit, id ipſum faſſo laudato *Caietano Monti* Bononiensi (*f*), ubi anno 1753. leguntur verba „ Hortus publicus eius „ (nempe *Vlyssis* „ *Aldrovandi*) „ conſilio, et opera, Bononiae conſtitutus „ &c., Senatusconsulto in eam ſententiam facto. „ Totius operis abſolvendi cura *Odono*, &c., et „ *Aldrovando* ipsi data eſt. Sed potiſſimae *Aldrovandi* „ partes fuerunt, qui brevi, magno coacto ſtirpium „ numero, Academicum ibi Hortum praeclare adornavit, „ aperuitque anno 1568., et Praefectus eiusdem, et „ plantarum Demonſtrator nuncupatus „. Neque *Montius* ipse, alia poſthac Bononiae monumenta ſcrutatus, aliter de hac Bononienſis Vireti Botanici Academici epocha sensit, protulitque, quum anno 1769. publice per Clariſſimum Benedictinorum Camaldulensium Monachorum Abbatem *Fattorinium* (*g*) declaravit, se poſtmodum iudicare, artis Botanicae ſtudium Bononiae multo antiquius fuiſſe, quam antea exiſtimarat, scilicet se iudicare excultum Bononiae usque ante XIII. ſeculi medietatem.

Con-

Concluſio.

Quas ob res omnes, erroris nebula remota, liquet, Piſanum Viretum Botanicum Academicum duobus annis antiquius eſſe Patavino Vireto Botanico Academico, annis autem viginti et quinque antiquius eſſe Bononienſi, ideoque Piſanum Viretum eſſe antiquiſſimum ceterorum omnium Viretorum Botanicorum Academicorum, ſive, ut aiunt, *primogenitum*. Nam Patavinum, et Bononienſe quoque vetuſtiora ceteris omnibus Viretis Botanicis Academicis ſunt.

ADNOTATIONES AD CAPVT PRIMVM

(*a*) *Indices Botanici, et Materiae Medicae, quibus Plantarum Genera hactenus inſtituta &c. Accedit Horti publici Bononienſis Hiſtoria brevis. Bononiae* 1753. 4.

(*b*) Paginae XIV. adnotatione ſeptima Praefationis Libri, cui titulus *Cl. Petri Antonii Michelii Catalogus Plantarum Horti Caeſarei Florentini &c. Florentiae* 1748. f.°. Inde pagina 93. Libri *Prodromo della Corografia, e della Topografia fiſica della Toſcana &c. In Firenze.* 1754. 8.

(*c*) *Num.* XLIV. *Giornale d'Italia, ſpettante alla Scienza Naturale, e principalmente all' Agricoltura, alle Arti, ed al Commercio*. 2. *Maggio* 1767.

(*d*) *Vitae Italorum Doctrina Excellentium, qui saeculo XVIII. floruerunt, Decas III., Auctore Angelo Fabronio Romae &c.* 1770. 8.

(*e*) *Fasti Gymnasii Patavini, Iacobi Facciolati ſtudio, atque opera collecti. Patavii typis Seminarii*. 1757. 4.

(*f*) *Indices Botanici, et Materiae Medicae, quibus &c.*

Digitized by Google

&c. Accedit Horti publici Bononiensis Historia brevis. Bononiae. &c. 1753. 4.

(g) *De Claris Archigymnasii Bononiensis Professoribus a saeculo XI. usque ad saeculum XIV. Bononiae.* 1769. &c. f.°

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

CHRONOLOGICA EXPONITVR SERIES, QVA PRAEDICTARVM EPOCHARVM CONFVSIO, AC VELVTI INVERSIO, FORTVITO INCEPIT, INVALVITQVE.

I. Anno 1553. *Petrus Belon* Gallus Cenomanus, ſeu *Belonus* (qui minus exacte scribi *Bellonius* ab Auctoribus adſuevit), e Facultate Medica Parisiensi, atque doctissimus Historiae Naturae Cultor, et culturae Historiae ipsius caussa Regionum longinquissimarum per itinera perlustrator, Patavinum Viretum Botanicum Academicum princeps Virorum Scriptorum Botanicorum, editis Itinerarii sui primi *Observationibus*, laudavit (*a*). Pisanum autem Viretum Botanicum Academicum minime ibidem nominasse videtur, vel quod prima illa peregrinatione Etruriam non inviſerit (*b*), vel quod de Pisano ipso Vireto verba facere omiserit, quamquam ipse sua ad *Franciscum* S. R. E. Cardinalem *a Turnone* nuncupatione adseruerit, se *Observationes* easdem *summa, qua potuit, fidelitate* in tres libros contraxisse. Quam peregrinationem primam *Belonus*, eiusdem Cardinalis liberalitate, per Iudaeam, AEgyptum, Graeciam, Arabiam, atque Italiae partem, vivo Gallorum Rege FRANCISCO I. anno 1546. susceperat, ut ad Stirpium, et Materiae Medicae cognitionem (sicuti ipse ait) perveniret, ac Medicamenta locis natalibus requi-

 reret,

reret, inde Lutetiam Parisiorum reversus anno 1549, ita ut tota peregrinatio triennio fuerit absoluta, *Observationes* illas Parisinis typis edidit, Cardinali ipso pecuniam in eos sumtus erogante. Anno postea 1556. circiter *Belonus* idem novo tunc suo tenui Opere (*c*) Patavinum Viretum Botanicum Academicum aliis quidem summis laudibus prosequutus fuit, verum eo ipso Opere Pisanum quoque Viretum Botanicum Academicum celebravit (*d*). Tunc etenim *Belonus*, absoluta altera per Italiam peregrinatione, ad quam a Rege *HENRICO II.* legatus anno 1554., quemadmodum videtur, fuerat (*e*), atque Etruria tunc recens peragrata, id Opusculum pepigit statim, ac in Galliam secunda redierat vice. Vtroque hoc suo *Belonus* Opere nullum quidem verbum de fundationis anno neque Patavini, neque Pisani, Vireti Botanici Academici protulit. Attamen, quum nullam praeclarus Auctor Pisani Vireti Botanici Academici laudationem anno illo 1553. perscripserit, dum magnam e contra de Patavino Vireto Botanico Academico laudem typis emisit, hinc gloriosa ipsius Patavini Vireti fama, a *Marco Guazzio* inchoata, multo clarior tum reddita a *Belono* fuit, idemque Patavinum Viretum Botanicum Academicum leviori incepit negotio videri Pisano antiquius *Belonianorum* Operum Lectoribus, praecipue non Italis. Tanto facilius habitum fuit pro antiquiori, posteaquam *Belonus* eo anno 1556. circiter encomium alterum Patavino Vireto Botanico Academico nexuit eximium.

II. Anno 1561. Scriptorum Virorum Botanicorum alter, nempe *Conradus Gesnerus* Tigurinus, Patavinum Viretum Botanicum Academicum magno et ipse extulit praeconio (*f*). Quoad Pisanum autem Viretum ipse

ie-

ieiunum nimis se detexit, quum ambiguo, ac nimis singulari, nominisque indigo, modo sola scripserit de Etrusco Vireto Botanico verba: *Illustriſſimi Ducis Florentini Hortus magnificentia structurae, et Stirpium peregrinitate excellit.* Hisce porro verbis ineruditum se *Gesnerus* praebuit, ostendens se nescire, *COSMAM I.* iam tunc, ne dum ob Pisanum Viretum Botanicum Academicum inclaruisse, verum etiam ob alia duo insignia Vireta Botanica, quorum antiquius prope Florentiam (g) colebatur, alterum vero Florentiae, quod maximo adhuc eſt in honore, Societate Botanica praeclarissima suffultum. Hinc, quamvis *Gesnerus* neque Patavini, neque Pisani Vireti Botaniei Academici epocham nominaverit, tamen potissimus et ipse videtur fuisse auctor, cur, post iam tunc editas a *Belono* summas de Patavino Vireto Botanico Academico laudes, *Gesneriana* ipsa sua celebratio eo facilius ad attollendum Patavini Vireti aetatis etiam decus supra maiorem Pisani Vireti aetatem inservire potuerit.

III. Anno 1598. pro epocha Patavini Vireti Botanici Academici annum 1533. indicaſſe ante omnes, (impari tamen, qua excitatus *Marcus Guazzius*, claritate, ac diligentia), nempe annis a Vireti ipsius Patavini initio quinquaginta et duobus, visus eſt *Antonius Riccobonus* Rhodigiensis, qui anno 1571. Patavina Iuris utriusque laurea redimitus, inde Graecarum Latinarumque Humaniorum litterarum Explicator publicus creatus, Commentaria typis vulgavit. (*h*), et in eorum Capite V.°, inscripto *De Horto Medicinali*, verba condidit, quae hic inserenda integra duximus, ut Criticis commodius pateant, eo magis quia *Riccoboni* Opus rarum eſt, nempe „ Hortum sphaericum „) hic intelligimus *conflatum area finita a circulo*)„ amplum, irriguum,

„ inter duo Templa auguſtiſſima Divi *Antonii* Con-
„ feſſoris, et Divae *Iuſtinae*, omni genere Herbarum
„ Medicinalium refertum, ad Studioſos in re Herbaria
„ erudiendos, Senatus conſtituit, ſuadente id Cl. Medico
„ *Franciſco Bonafidio* Patavino, qui, poſteaquam ad
„ Medicinam Theoricam extraordinariam, et ad Practicam
„ extraordinariam, maxima sua cum laude, ac prope
„ incredibili ſtudioſorum Iuvenum cum utilitate
„ adhibitus eſt, anno trigeſimo tertio ſupra mille-
„ ſimum et quingenteſimum, referentibus de eo ad
„ Senatum Gymnaſii Moderatoribus *Sebaſtiano Foſcareno*,
„ et *Nicolao Theupolo*, primus Simplicium Explicator
„ factus, id muneris quam digniſſime obivit uſque
„ ad annum milleſimum quadrageſimum honum „.
Patet, huius *Riccobonianae* hiſtoriae partem eſſe ambiguam; ita enim exarata eſt, ut prima credi poſſit fronte, annum 1533. non solum de *Bonafidii* creatione Gymnaſtica, ſcilicet primi Explicatoris Botanici theoretici, verum etiam de Patavini Vireti Botanici Academici initio intelligendum eſſe. Penitus autem inſpicienti liquet, annum illum 1533. eſſe ad ſolius Cathedrae Botanicae inſtitutionem referendum, qua *Bonafidius* Plantas explicare princeps debebat, neutiquam vero referendum ad Patavini Vireti Botanici principium, quod imo uſque ad annum 1546. dilatum fuiſſe ex *Guazzio*, et *Facciolato* mox vidimus. Ambiguitas haec videtur prima extitiſſe cauſſa, cur *Riccobono* ſucceſſores Viri bene multi in errorem prolapſi fuerint, litteris mandantes, Patavinum Viretum Botanicum Academicum fundatum illo anno 1533. fuiſſe, eo quod annum illum ipſum adplicuerint Patavini etiam Vireti Botanici Academici initio.

IV.

IV. Anno 1654. primus in errorem huiusmodi publice offendit *Iacobus Philippus Tomasinus*, Civitatis, quae *Città nuova d' Istria* Italice nominatur, Latine autem *AEmonia*, Pontifex. Hic Opus suum (*i*) *Gymnasium Patavinum &c.* ipſe etiam luce publica donavit, et Capite, cui titulus *Horti Medici Descriptio*, narrare contendit, illo anno 1533. selectum fuisse locum Senatus Veneti Decreto pro Patavino Vireto Botanico Academico faciendo. *Tomasini* Pontificis verba eumdem in finem, ob quem *Riccoboniana* a nobis adlata sunt, hic addimus: „ Ad Gymnasii Patavini splendorem „ nihil magis accedebat, quam omnium Stirpium, „ Herbarumque Medicinalium Viridarium extruere. „ *Danielis Barbari* Patriarchae Aquileiensis consilio „ factum refert *Bellonius* libro tertio *Observationum* „ Capite L., et Libro *De Neglecta Stirpium Cultura* „ Problemate vigesimo. Anno 1533. Serenissimi Senatus „ Veneti Decreto amoenissimus ei locus inter splendida „ Divi *Antonii*, et Divae *Iustinae* Templa selectus, „ aquis undique irriguus, suadente id plurimum Cl. „ Medico *Francisco Bonafidio* Patavino, qui Moderatoribus „ Gymnasii *Sebastiano Foscareno*, et *Nicolao Theupolo*, „ primus ibidem Studiosis Medicinae in re Herbaria „ erudiendis, praeficitur. Anno 1542. auctum est „ stipendium *Bonafidio* (*l*), ut diligentior esset in „ adunandis Stirpibus rarioribus, constituto honorario „ &c. anno 1547. *Aloysio* Hortulano, vel Herbario, „ et domo in Horto. Huius loci fabricam perfici „ ſummopere cupientes Gymnasii Moderatores eodem „ anno 1547., ob ſenectutem, vel adversam valetudinem „ *Bonafidii*, elegerunt *Petrum Noalem* Patavinum Medicum, et rei Herbariae studiosissimum, ut praeesset „ operi, eique praeceperunt, ut *Andreae Riccii*,

„ Ar-

„ Architecti AEdis Sanctae *Iustinae*, consilio et ingenio „ uteretur „. *Tomasinus* igitur ambiguorum illorum *Riccoboni* verborum caussa imaginatus fuit, adseruitque, amoenissimum locum illum anno 1533. Sereniſsimi Senatus Veneti decreto selectum fuisse, nulli monumento nisus, et quamquam *Riccobonus* ne verbum quidem univocum de loci ipsius delectione, neque de initii Vireti Botanici Patavini Academici tempore promsisset. Ea vero, quae posthac fatus est *Tomasinus*, nempe „ Anno 1542. auctum est stipendium *Bonafidio*, ut „ diligentior esset in adunandis Stirpibus rarioribus „ accipienda sunt ita, ut eo anno 1542. adunandae a *Bonafidio* essent, confecto nondum Vireto, quemadmodum *Facciolati* verba consonant, nempe „ *Bonafidium* „anno 1543. fuisse suasorem ad Hortum condendum „. Quas ob res *Tomasinus* perscribere nullus dubitavit, *COSMAM I.*, quum Pisanum Viretum Botanicum Academicum fundavit, Veneti Senatus exemplum sequutum fuisse.

V. Anno 1670. *Guernerus Rolfincius* Hamburgensis, qui libris propriis, se ipso adstante editis, *Rolfinkius* haudquaquam legitur, uti Scriptores nonnulli mallent, et qui iuvenili aetate Patavino Gymnasio litteris operam dederat, ibique anno 1625. Philosophicam et Medicam lauream retulerat, ibidemque, uti simillimum veri est, minus verum Patavii sparsum rumorem tunc audierat, publicis formis, aetate annorum 71., iniuria tradidit verba (*m*), nimirum „ In Academicorum Hortorum censu „ antesignanum occupat ordinem Hortus Patavinus, „ Senatus Veneti providentia ibidem anno 1540. „ extructus, &c.. Laudabili imitatione motus Serenissimus „ Magnus Etruriae Dux *Cosmus Mediceus*, septimo a „ Patavino anno 1547. in Pisana sua Vniversitate

„ erc-

„ erexit medicum Hortum, et exquisitissimis in hoc „ Viridario floribus &c. „. Ex quibus *Rolfincii* verbis, aliisque proximis, patet, ab ipso documentis deſtituto annum 1540. Patavini Vireti Botanici Academici primordio, annum vero 1547. Pisani Vireti Botanici Academici initio, gratis adsignatos fuisse.

VI. A praecitatis Scriptorum verbis duci se quoque in chronologicum errorem siverunt Auctores alii, cetera subspiciendi. *Hermannus Conringius*, *Rolfincio* quoad septem annos iunior, et Medicinae Professor Helmstadiensis, publicis formis prodidit (*n*) deceptus et ipse verba „ *Exemplo* Patavino incitatus, Pisis Hortum „ construi fecit *Cosmus*, Dux Florentiae, &c. „

VII. Anno 1700. Cl *Iosephus Pitton Tournefort* hisce super epochis quoque deceptus (*o*) vulgavit verba: „ Inter Hortos publicos, in quibus Plantae a Pro„ fessoribus indigitantur, antiquissimus est Patavinus, „ ob quem Senatui Veneto summa laus tribuenda „ est. Is enim Hortum sphaericum (1) &c. (*Riccobonus* „ *De Gymnasio Patavino*). Exemplo Patavino incitatus, „ Pisis Hortum construi fecit *Cosmus Medices*, Magnus „ Dux Florentiae &c „.

VIII. Anno 1722. Cl. *Iulius Pontedera* Patricius Pisanus, et Patavino Gymnasio Botanices Professor, ac Patavino Vireto Botanico Academico Praefectus, se etiam iisdem super epochis deceptum commonſtravit, binas dans epistolas *Comneno Papadopolo* collegae suo, qui ipsas publici iuris fecit. Altera etenim epistola, calendis Novembribus data, leguntur verba „ Postquam „ maiori studio Botanica agitari cepit, externique Principes, „ Augusti Senatus Veneti exemplo permoti, Hortos „ parare &c. instituerunt „ Altera vero epistola, XII. calendas Decembres perscripta, sic habet „ Hortus

„ Pa-

(1) Hic intelligimus *conflatum area finita a circulo*.

„ Patavinus quoniam antiquitate, et amplitudine, ceteris „ facile praestabat, nobilitate etiam, Architecturae „ elegantia, fontium numero, Botanophilaciorum „ pulchritudine, primus et haberetur, et vocaretur „.

IX. Anno 1726. *Nicolaus* ipse *Comnenus Papadopolus* Cretensis, et Sancti *Zenobii* Abbas, ac Iuris Canonici Patavino Gymnasio a pluribus tunc annis Praelector, praemisit quidem verba (*p*) „ satius visum &c. rem „ totam summis capitibus committere, eamque ipsi „ Praefecto Cl. (*Pontederae*), precibus interpositis, delegare„; sed ibidem rationes in medium adduxit sibi arrogatas, quae ceterum mancae sunt, ad rem nostram spectantes, nempe: „ Hortum Botanicum *Danielis Barbari* Aqui- „ leiensis Patriarchae consilio factum. Patavii scribit „ *Bellonius* non uno in loco, recipitque quod ille „ scribit facile *Tomasinus*. Verum, quum certum sit, „ ipso *Tomasino* teste, hoc opus egregium Senatus- „ consulto fuisse decretum anno 1533., ad consilium „ *Danielis* pertinere minime potuit, nati anni 1515, „ atque adeo anno signato duodevigesimum agentis. „ Senatusconsultum, a *Tomasino* notatum, secutum „ est plenius aliud, et efficacius, anno 1545., „ propositum pridie Kalendas sextiles, eoque et sedes „ Horto posita, et sumptus in eo aedificando plan- „ tandoque decretus, et Custos, ac Ministri, a quibus „ coleretur, et Regiones, unde quaerendae, transfe- „ rendaeque Patavium Stirpes essent, nominatae „. Cl. *Facciolatus* ne verbum quidem fatus inde est (*q*) de anni 1533. Senatusconsulto, quod *Tomasinus* supposuit, adseruitque, et quod *Papadopolus* hic loci adoptavit. Hinc nuperi *Facciolati* de eodem Senatusconsulto silentium argumento est, nullum revera eo anno 1533.

a Veneto

a Veneto Senatu manasse, atque ab ipso *Facciolato* adsertionem *Tomasini*, nimisque facilem *Comneni* hac super re fidem flocci factam fuisse, facundoque silentio despectam, ac reprobatam. Fides haec, intempestive a *Comneno* adhibita, *Comnenum* ipsum in alterum traxit errorem, in notham scilicet inlationem, quam a precedenti errore deduxit, nempe „ ad *Danielis* „ *Barbari* consilium pertinere minime potuisse, nati „ anno 1515 „ Patavini Vireti Botanici Academici „ fundationem. Hic ipse alter est error, nam fundatio eadem potuit imo ad *Danielis* ipsius consilium pertinere, eo quod *Belonus* id adseruerit *Danielis* conſilium paullo postea, quam Patavii fuerat. Praeterea, ſicuti *Daniel* ille *Barbarus* anno 1545, quo Serenissimus Venetus Senatus de Patavino Vireto Botanico Academico condendo Consultum tulit, ad aetatem annorum 31 provectus erat (*r*); ita haec aetas, geminata gravitati ac doctrinae, quae plurimae *Danielis* suspiciebantur, par erat conciliandae *Danielis* consilio multae apud Venetum Senatum existimationi. Litteratissimus Vir Venetus *Apostolus* prae ceteris *Zenus* secundo *Dissertationum Vossianarum* tomo docuit, atque *Annotationibus ad Fontanini Bibliothecam* publicis documentis comprobavit, *Danielem* eumdem (qui *Daniel II.* a *Zeno* ipſo nominatur) natum fuisse anno 1514. Quo de *Daniele* obiter animadvertendum, hac detegi opportunitate chronologicum *Ferd. Vghellii* (*s*) mendum. Etenim iam anno 1553, quo *Belonus* ea litteris enunciabat, *Daniel Barbarus* Patriarcha Aquileiensis renunciatus fuerat. At *Vghellius*, perlecto numquam laudato *Beloni* Opere, tradidit, *Danielem* ipsum anno 1559. a *Paullo IV.* Pont. Max. creatum fuisse in *Iohannis Grimani* subsidium ad Ecclesiam Aquileiensem administrandam, et regendam.

Idque *Vghellii* mendum fugit CL. *Iohannem Franciſcum Bernardum de Rubeis*, quum praeclara *Monumenta Eccleſiae Aquileienſis* exararet, publicique iuris faceret. *Iohannes* attamen *Ioſephus Origlia* Supplemento ad Hiſtoricum *Ladvocat*i Dictionarium recte monuit, *Danielem* hunc *Barbarum* anno 1550 fuiſſe a *Iohanne Grimano* Patriarcha Aquileienſi delectum adiutorem ſuum, atque delectionem huiusmodi a *Iulio III.* adprobatam, atque declaratam fuiſſe.

X. Annis 1736, et 1745, longe Eminens *Carolus Linnaeus* quoque, chronologicos de praedictorum Viretorum Botanicorum Academicorum epochis errores *Rolfincii* minus caute ſequutus, typis edidit verba (*t*): „ Patavinus Hortus Academicus fundatus eſt, antiquiſ- „ ſimus hic, Paduae 1540, Piſanus Hortus Academicus „ fundatus eſt Piſae in Hetruria 1547. „......„ Initia „ ſua vidit Hortus Patavinus anno 1540, Piſanus 1547 „ Bononienſis 1547. „.

XI. Anno 1748 praelaudatus inſigniter Clarus *Ioh. Targionius Tozzettius*, etſi recte, ut vidimus, Piſani Vireti Botanici Academici fundationem anno 1544 fixerit, attamen quoad Patavini Vireti Botanici Academici epocham a lubrica nimis traditione anni vel 1533, vel 1540, circumventus, mox ſequentia perſcripſit (*u*): „ *Coſmus Medices*, Magnus Dux Etruriae „ primus, &c., Veneti Senatus Ampliſſimi exemplum „ ſequutus, publicum Hortùm fundavit. &c... Hortus „ Florentinus quartum inter Hortos medicos locum „ antiquitatis ordine ſibi iure merito vindicat, poſt „ Patavinum nempe, Bononienſem, et Piſanum. „.

XII. Anno 1751 CL. *Albertus* Baro *de Haller*, a praeviis et ipſe deceptus Auctoribus fuit, conſcribens (*x*): „ Hortorum cultus eo tempore inceperunt publicos

„ in

„ in usus condi. Patavinus omnium primus, instigante „ *D. Barbaro,* a Republica Veneta *Bonafidei* opera fun„ datus est (*Bellonius de Neglecta &c.*). Deinde Pisanum „ Hortum *Cosmus Medices* construxit, et *Caesalpinum* „ praefecit (*Rolfinkius de Veget. &c.*). Reliqui Horti „ sensim sequuti sunt. „.

XIII. Anno 1753 praecitatus Cl. *Caietanus Montì* Bononiensis, ſupponens anni vel 1533, vel 1540, traditionem quoad Patavini Vireti Botanici Academici epocham, esse veridicam, recitavit (*y*) quae mox sequuntur, nempe „ *Cosmas I.* Pisanum Hortum Bo„ tanicum fundavit, inductus, ut credere fas est, „ recenti exemplo prudentissimi Senatus Veneti „. Quo in Opere neutiquam dissimulavit ferri etiam, Pisanum Hortum anno 1547 tunc primo conditum fuisse: id quod a praedicta gratuita *Rolfincii* adsertione potissimum derivavit.

XIV. Anno 1754 ipse numquam satis laudatus *Iohannes Targionius Tozzettius*, ab praedicta fortuita deceptus traditionis epochae vel 1533, vel 1540, fallacia, atque autumans Bononienſe etiam Viretum Botanicum Academicum eſſe antiquius, memoratum antiquitatis ordinem repetiit (*z*) scribens, Hortum Botanicum Pisanum esse „ il terzo in ordine di antichità fra gli „ Orti Accademici „.

XV. Anno 1771 Praeclarissimus iterum *Hallerus* mox sequentia praebuit verba (*a*) „ Publicorum Horto„ rum primus Patavinus est, quem *Danielis Barbari* „ hortatu Veneti anno 1533 condiderunt. *Bellonius* „ *De Neglecta Stirpium Cultura* (*b*). Inde Florentinus „ anno 1544 (*c*). *Luca Ghino* Magistro. Successit „ Pisanus, a *Cosmo Mediceo* fundatus, et curae „ *Caesalpini* commissus (*d*) „.

Verum mihi animus non est singulos de hisce epochis Scriptores persequi. Adlatos dumtaxat, e quibus florentes, optimeque nihilo minus meriti, plurimum suspiciendi procul dubio sunt, in medium adduxi, ne praetermissa diutius haec confusionis, inversionisve epocharum huiusmodi declaratio videretur, atque ideo ut non modo Pisano Vireto Botanico Academico maioris aetatis dignitas, gloria, et ius, fortuito paullatim huc uſque eo magis in dies ademta, redderentur, verum etiam ut animadversio suboriretur, scilicet prudentem, strenuum, liberalem, atque Studiorum et Artium, praesertim vero Historiae Naturae, fautorem, *COSMAM I. MEDICEM* nequaquam externi eguisse exempli, quo Pisanum Viretum Botanicum Academicum fundaret, atque in formam deduceret.

ANNOTAMENTA AD CAPVT SECVNDVM

(*a*) Libro tertio Capite 50. *Observationum* &c., quas, Gallico idiomate conscriptas, editasque anno 1553, in Latinam vertit linguam anno 1600, vulgavitque anno 1605, *Carolus Clusius* titulo *Petri Bellonii Itinerarium seu Observationes &c.*

(*b*) Etruriam prima illa peregrinatione annorum 1546, 1547, 1548, et 1549, neutiquam invisisse *Belonus* videtur, etsi libro *De Neglecta Stirpium Cultura, atque Earum Cognitione*, vigintiduobus Problematis conflato, Problemate IX. legatur, *Belonum ex profeſſo Italiam bis emensum fuiſſe* per verba „ Parum fuit „ praecedente anno (1554, vel 1555, circ.) Montium „ Arverniae, Sabaudiae, et Delphinatus summa iuga „ denuo, dedita opera, conscendere ad observandas

Arbores,

„ Arbores , nisi *ex profeſſo Italiam bis emensi fuis-* „ *semus* „.

(*c*) *De Neglecta St:rpium &c.* Problemate vigeſimo, cui titulus „ Admonitio ad Galliae Respublicas de „ Opulentia, et Facultatibus quorumdam Externorum, „ qui sua diligentia ex Plantarum Cultura eas sibi „ compararunt „.

(*d*) Eodem Problemate XX., quo adnotanda maxime leguntur verba „ Illustrissimus, idemque Magnanimus „ Princeps *Cosmus Mediceus*, Dux Florentinus, Hortum „ etiam in sua Pisana Academia extrui iussit, quem „ magnis sumtibus colit, et expresse litteratis Viris „ consecravit in Eorum gratiam, qui discendarum „ scientiarum caussa illuc confluunt, ubi plurimas „ pulcherrimas Plantas in fictilibus, et areolis educari „ iubet, quarum obiter dumtaxat hoc loco fiet mentio: „ isthic autem Hispanicam Myrtum latifoliam, nobis „ antea incognitam, conspeximus. Hic Pisanus Hortus, „ variis Stirpium generibus consitus, illius Academiae „ decorandae gratia institutus fuit: in quo quum „ multa rara, et excellentia quaeque nusquam alibi „ per Italiam inveniri queant, viderimus, et didiceri- „ mus, minime silentio premendum duco, hunc „ dignissimum Principem, praeter reliquas virtutes, „ tanto affectu rem litterariam promovendam suscipere, „ ut nullis sumtibus parcat. Dominus *Andreas Caesal-* „ *pinus*, Herbariae rei in Ipsius Academia Professor, „ virtute insigni praeditus, duabus parvis Arbusculis „ perpetuo virentibus *Laurocerasi*, bene radicatis, nos „ donavit „.

(*e*) *Belonus* suae alterius per Italiam peregrinationis tempus reticuit, verum id temporis fuisse liquet praenominatos annos 1554, et 1555, circiter, quibus

praesertim

praesertim Senense bellum effervebat, a *Belono* Problemate XIII. nominatum, ubi leguntur, verba „ *Cerrosouvari* (*Cerrosovero*, o *Cerrosoghero*) „ proxime nos impule- „ runt, ut Tusciam peragraremus earum conspicienda- „ rum caussa. Isthic enim frequentes sunt, effeceruntque, „ ut, ardente bello, per media Hoſtium praesidia „ transiremus, dum eius (*earum*) glandes quaereremus. „ Nam Ducis Florentini favore freti, quum animadvertis- „ semus, in Ipsius Hortis cum aliis Arboribus non „ inveniri, Senensibus &c. „. CL. *Targionius Tozzettius* septimo editionis secundae suarum *Relationum Itinerum aliquot variis Etruriae Partibus factorum* tomo retulit, Senensi Ditione Tyrrhaeno littore inveniri Nemoribus *Montis Rotundi* inter Quercus identidem Arborem, quae *Cerro Sughero* nominatur etiam, et *Quercia Sughera*, a Veteribus autem *Phellodrys*: hanc Arborem frondes, et glandes, quae a Quercubus prae se feruntur, portendere, corticem vero fungosum similemque cortici Suberum, licet subtiliorem, durioremque: ipſamque Arborem virentibus semper frondibus pollere.

(*f*) Particula, *De Hortis Italiae* inscripta, adnexaque *Conradi Gesneri* Opusculo *De Hortis Germaniae*, quod eo anno 1561. Argentorati proditum fuit, insitumque *Valerii Cordi Adnotationibus in Dioscoridem*, illo ipso anno ibidem editis, id ante Alios Cl. *Linnaei* monente *Bibliotheca Botanica &c.* pag. 74..

(*g*) *Belonus De Neglecta Stirpium Cultura*, *&c.* Problemate XIII. scripsit: „ Ducis Florentini *in Castello* „ Silvulae Tino (*Laurus Sylvestris semine rotundo*) virent, „ suis caeruleis baccis onusto „. Problemate autem XXII., inscripto *De Insigni Elegantia Horti Florentini Ducis, in Castello Cognominati*, haec leguntur succedentia, quibus *Belonus* eo anno 1556 iucundam eiusdem

„ Vi-

Vireti descriptionem, hic partim non omittendam, (ex qua illationes deducuntur,) perhibuit. „ Quum iam
„ de Illustrissimi Principis *Cosmi Medices* Florentini
„ Ducis Horti, *in Castello* nuncupati, elegantia loqui
„ ceperimus, brevibus reliqua persequamur: nam ut
„ ornatissime instructus est seris arboribus, nisi iam
„ multo tempore excogitata fuisset ratio eius excolendi,
„ et principium datum esset, adeone ornatus nunc
„ foret? &c.. Fontes huius Horti adeo excellunt, ut
„ pauci elegantiores alibi conspiciantur. Pulcherrimum
„ vero spectaculum praebent praealtae Arbores perpetuo
„ virentes. Itaque aedes inferiores, quas Dux inhabitat,
„ egressis subeundi sunt aliqui gradus, deinde occurrit
„ *planities in orbem facta*, Cupressis referta, et Buxea
„ sepe, coronae instar, cincta. Cupressis multae Arbores,
„ serie quadam consitae, permixtae sunt, ut Arbuti,
„ Myrti, et Lauri, quae perpetuo virentes, et suavem
„ fundentes odorem, plurimam addunt loco gratiam.
„ In media hac planitie fons est artificialis, multis
„ angustis meatibus aquam fundens, atque Homines
„ inopinantes fallens. Vtrumq. eius latus binae Palae
„ Arbores, sive *Ficus Indicae* nuncupatae, quae suis
„ foliis seruntur, satis iam adultae occupant, quibus
„ contiguae sunt duae legitimae Platani, semen ferentes.
„ Omnes huius Horti parietes Lauro adnascenti
„ teguntur. Citriae, Limoniae, atque Adami Mali,
„ parietes etiam vestiunt. Sed haec adhuc tenuia:
„ nam ex hoc primo Horto ascendentes, et paulisper
„ progredientes, duos alios fontes inveniunt, Statuis,
„ et elegantibus Cochleis ornatos, qui portam utrinque
„ claudunt. Supra adhuc ingressus est in Silvulam,
„ nulla alia Arbore, quam Cupressium, constantem.
„ Vlterius alia est Silvula Abietum legione consita.
„ &c.

Digitized by Google

„ &c.. Dextro latere Silva est, serie quadam Ilicibus „ consita, atque illi contigua alia Laurorum, quibus „ admixtum est aliud Arboris genus perpetuo virens, „ *Lentaggine* isthic appellatum, atque a nobis inter „ reliquas Arbores propositum *Tini* nomine, cuius „ semen caeruleum est. &c.. Iſthic etiam sunt Rhodo- „ dendri. Deinde alia Arbor truncata, superne cincta, „ et operta Haedera, et in medio mensam sustinens, „ ad quam aqua fontana per siphones deducta est. „ Sub aedificio foris deambulacrum est praealtum, „ albae Mori Arboribus consitum, quae nullis peda- „ mentis fulciuntur. Sunt etiam alii Horti, aureas „ Malos, et Alia continentes, quae brevitatis gratia „ praetermittimus. Proximum huic aliud eſt aedificium „ domini *Rucellai* in *Corachi*, tertio a Florentiae mi- „ liari, ubi similiter elegantes sunt Abietes, Tini, Myrti „ albae, Taxi, Lauri, et aliae perquam rarae Arbores„.

(*h*) *De Gymnasio Patavino Antonii Riccoboni Commentariorum Libri sex, quibus antiquiſſima eius origo, et multa praeclara ad Gymnasium Patavinum pertinentia, Doctoresque clariores usque ad annum* 1571, *&c. recensentur. &c. Patavii. &c.* 1598. 4.. *Riccobonus* huiusmodi suo Opere Patavini Vireti Botanici Academici figuram nominavit *sphaericam*, verum intelligimus planitiem, seu aream, a circulo finitam, vel circumscriptam: quae Patavini Vireti Botanici Academici figura eadem est ac quae erat deſcripti Horti *COSMAE I. in Castello* cognominati figura. Vtrumvis antiquius?

(*i*) *Gymnasium Patavinum Iacobi Philippi Tomasini Episcopi AEmoniensis Libris V. comprehensum &c. Vtini. &c.* 1654. f.°

(*l*) Ad Paginae 12 lineam 14... *Facciolatus* paginis 399, et 400, Operis, cui titulus *Fasti Gymnasii Patavini*,

„ fatus

fatus est: „ *Bonafidius* anno 1543, adhibitis in consi-
„ lium ceteris Magistris, suasor, et auctor, Magistratui
„ fuit, ut artis huius Herbariae, quae frequentius
„ Graeco nomine *Botanica* dicitur, praecipua quaedam
„ cura susciperetur, &c.. De eo tandem consenserunt,
„ ut Hortus medicus salutaribus Herbis colendis, et
„ conservandis, conderetur. Itaque anno 1545 XVI.
„ Kalendas Sextiles Senatusconsultum factum est, ut
„ &c. „.

(*m*) Libro II. Sectione III. Capite VI. pagina 132.
Operis typis editi, cui titulus: *Guerneri Rolfincii De Vegetabilibus Plantis Suffruticibus &c. Libri duo. Ienae. &c.* 1670. 4.

(*n*) *Introductio in Artem Medicam.*

(*o*) Isagoge in *Institutiones Rei. Herbariae &c. Parisiis. &c.*

(*p*) Libro primo Sectione I. Capite IX. *De Horto Botanico*. Operis titulus est: *Nicolai Comneni Papadopoli Historia Gymnasii Patavini post ea quae hactenus de illo scripta sunt ad haec nostra tempora plenius et emendatius deducta &c. Venetiis.* 1726. f.

(*q*) *Fasti Gymnasii Patavini &c. Patavii.* 1757. 4.

(*r*) Potissimum Venetae Reipublicae leges multam nobilium Venetorum Hominum aetatis rationem habent.

(*s*) *Italia Sacra. &c.* Tomo V.° pagina 158. editionis Romae 1653.

(*t*) Paginis 66, et 67, Libri, cui titulus *Bibliotheca Botanica. &c. Amstelodami* 1736.... Inde Dissertatione a discipulo suo *Samuele Nauclero* propugnata Upsaliensi Lyceo, editaque nomine *Hortus Upsaliensis*,

(*u*) Pagina XIV. Praefationis ad Librum, inscriptum *CL. Petri Antonii Michelii Catalogus Plantarum Horti Caesarei &c. Florentiae.* 1748. *&c.* f.

(*x*) Annotamentis ad *Method. Studii Medici Boërhaave*. Tomo primo. Capite *De Botanica*. *Amſtelodami.* 1751.

(*y*) *Indices Botanici &c. Bononiae*. 1753. 4.

(*z*) *Prodromo dalla Corografia &c. Firenze*. 1754. 8. pagina 93.

(*a*) *Haller Bibliotheca Botanica &c. Tiguri* 1771. 4. Tomo primo.

(*b*) Re vera *Belonus Danielem* quidem *Barbarum* nominavit, ut superioribus hic innotuit paginis; at ne verbum quidem de anno fundationis Patavini Vireti Botanici Academici protulit, quemadmodum pagina octava animadvertimus.

(*c*) Hanc de anno 1544 adsertionem quo ad Regii hodierni Florentini Vireti Botanici publici ad Divi *Marci* epocham *Hallerus Targionio* tribuit, licet *Targionius* praecitata sua Praefatione suam tantummodo coniecturam, vel sententiam, significaverit, scilicet ipſum Florentinum Viretum Botanicum publicum ad Divi *Marci* videri fundatum fuisse paullo ante annum 1557. Eo anno praelaudatum Viretum Botanicum *COSMAE I.*, *in Caſtello* cognominatum, iam inclaruerat.

(*d*) Pisanum Viretum Botanicum Academicùm neutiquam successit, sed antecessit, et curae *Lucae Ghini* commissus fuit decennio ante, quam *Caesalpini* curae committeretur.

VIRETVM

VIRETVM PISANVM BOTANICVM ACADEMICVM

PARS ALTERA COMMENTARI

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPVT I.

DE PRIMA VIRETI PISANI BOTANICI ACADEMICI SEDE, VEL AREA, ET DE PRIMO EIVSDEM PRAEFECTO *LVCA GHINO*.

PRima Vireti Pisani Botanici Academici sedes, vel locus, inchoati anno 1544, Provisore Gymnasii Pisani Patricio Florentino Doctissimo *Philippo del Migliore*, seu *Meliorio*, (*a*), fuit parte Pisarum septem Trionibus propiori, ubi scilicet ipsius partis facies, Arno proxima, ad meridiem atque ad occidentem Solem respicit, prope Navale (*b*) nuper tunc inceptum, quo duarum ibidem primo celeritate summa structarum triremium prima XVII. calendas Decembres, ſeu die 15 Novembris, anni 1548 in Arnum immissa fuit, atque ad Labronem ducta, tormentisque bellicis ac aliis armis munita, et inde commissa pelago ita, ut die 26 Aprilis anni 1549 primam Navis Barbarorum praedam conquifierit, sicuti inedita eiusdem Navalis monumenta referunt. Iccirco Viretum illud *il Giardino dell' Arzinale* (*c*) nominabatur, ut et ab aliis Pisarum Viretis amoenissimis atque magnificis, etsi neque Botanicis, neque publicis, distingueretur, quae, tunc temporis etiam, Pisis splendidiorum Familiarum luxu usuvenerant. Praestabat illud Pisani Patricii *Iohannis Philippi Lanfranchi* septentrionaria eadem Pisarum parte, quae tamen ad orientem Solem locatur, conditum, effictumque ex *Michaëlis Angeli Bonarotii* idea, quem inter et *Lanfrancum* ipsum haud modicus

modicus erat amicitiae usus. Huiusmodi Viretum a Magnis Etruriae Ducibus *MEDICEIS* diutissime in emphyteusim acceptum, Ipsi crebro adibant, animum deliciosissma statione illa recreare adsueti, sicuti nobis narrare Eques *Albizus Lanfrancus*, memorato *Iohanne Philippo* atavo progenitus, solebat. Vireti huiusmodi *Lanfranchiani* aemulum quodammodo ante alia tum clarescebat Viretum alterum, paucis passibus a Gymnasio distans, illud nempe *Soderiniorum*, inlustrium maxime Florentiae Civium, qui finitimam Vireto eidem possidebant, incolebantque domum, eo quod modo alii ex Ipsis successive Gymnasio Pisano in studia incumbere solerent, alii modo eodem Gymnasio docere (*d*). Cuius Vireti magnificentiam elegantes, maximique pro Statuis stylobates, hinc inde utroque ambulacrorum latere adhuc superstites, enunciant.

Cuiusnam Architecti ingenio conformata fuerit primi illius Pisani Vireti Botanici Academici ichnographia, et quae longitudo ac latitudo fuerint, latet.

Posteaquam Magnificentissimus *COSMAS I.* proprio animi motu prudentissimo Pisani ipsius Vireti creationem memorato anno 1543 molitus fuerat, idque fieri, ac perfici iusserat, dumque inſtruebatur, consilia praestitit *Lucas Ghinus*.

Ghinus ipse circa annum 1496 natus ditionis Bononiensis loco, qui dicitur *Corvara d' Imola* (*e*), videtur fuisse alter ex Alumnis Clarissimi Vicetini *Nicolai Leoniceni*, *Leoni* Papae X.^mo acceptissimi, qui, postquam Ferrariensi Gymnasio diutissime docuerat (*f*), anno 1508 octogenarius amplo stipendio Bononiam vocatus Medicinae interpretandae munus obiit, et Herbariae primus Restitutor fuit (*g*), sive *primus Herbariam pene desitam &c. revocavit*, quemadmodum sepulcralis

perhibet

Digitized by Google

perhibet inscriptio anni 1524, cadaveri *Leoniceni* ipsius adposita (*b*). Hinc hallucinati fuere qui litteris mandarunt, Italiae omni facem praetulisse quo ad Herbariae doctrinam *Franciscum Bonafidium* Patavinum, vel *Dominicum Sennum* Patavinum, vel *Iohannem Manardum* Ferrariensem, vel hunc denique *Ghinum* ipsum Bononiensem, quum anno 1527 Simplicium explicationem Bononiensi Gymnasio publice aggressus fuit, eximii Botanici fama sibi iam tunc comparata. Quo ad Etruriam quidem primus Botanices Institutor *Ghinus* extitit (*i*), postquam egregius Professor (*l*), ac Medicus doctrinae singularis (*m*) evaserat. Quum eximie Herbariam eamdem calleret, ac plerasque alias iucundas, utilissimasque Historiae Naturae partes, huius tradendae etiam e Pisana Cathedra munus conlatum ipsi *Ghino* fuit a praelaudato *Meliorio*, quem unum *COSMAS I.* anno 1542 die februarii duodecimo amplissima per scribam *Bernardum Gamberellium* facultate munivit, ut quoscumque cuiusvis Professionis Doctores ad Pisanum Gymnasium adtrahere mallet, conduceret. Anni 1544 aerae vulgaris initio *Ghinus* Pisas venit (*n*), atque eiusmodi Viretum Pisanum Botanicum Academicum facile instruere, et ornare potuit raris etiam exteris Herbis, et Plantis, parum tunc cognitis, petitisque ex America, atque Indis Orientalibus. Sapientissimus porro *COSMAS* haud minus, quam aliis studiis, Botanice et cultura agrorum (quas inter esse maximam connexionem nemo nescit), delectari solitus erat ita, ut funebri eiusdem Magni Ducis laudatione *Bernardus Davanzatus* perscripserit, *COSMAM* ipsum (analoge quasi alter *Cincinnatus* ab aratro ad Dictaturam) a voluptatibus, quas rura ferunt exercita, ad Florentiae Regimen fuisse elatum, tunc quum Florentiae Senatus eumdem *COSMAM* Caput Reipublicae Flo-

Florentinae, inde Ducem, creavit.

Plurimae lectionis Vir, et re litteraria detritus, praecitatus *Targionius Tozzettius* (*o*) coniecit anno 1748, *Ghinum* duplici Herbariae practicae Professoris munere functum fuisse, Pisis scilicet, et Florentiae, adeo ut Herbarium curriculum, Vireto Botanico Pisano inchoatum, Florentino Horto per Academicas Ferias absolvere consueverit. Id coniecit potissimum, quia *Ghinus* Academicis vertentibus Feriis Florentinam Aullam incolere plerumque soleret. Variarum Regionum Plantas *Ghinus* adinvenit, aliasque Creticas, quarum semina a Fratre, qui Candia commorabatur, obtinuerat, atque Etruscarum praecipue Plantarum cadavera etiam apud se methodice disposuit, adservabatque (*p*). Meditatus sapientiam Creatoris Montium, enormium eiusmodi massarum, quas indignantur Indocti, et quae tamquam inutiles ab Indoctis iudicantur, Etruriae Montes etiam philosophice peragrabat pluries, et rebus fossilibus delectatus ipsarum conlectionem efformavit. Labroniano praesertim Monte, qui *Niger* dici adsuevit, et qui raris laudatissimisque scatet Plantis, Botanice venatus est (*q*). Florentiam quoque inter et Arretium peregrinatus eo modo fuit, id describente Cliviensi *Rinerio Solenandro*, altero e *Ghini* Alumnis, cuius verba adnotari iuvat „ *Lucas* „ *Ghinus* Medicus, Vir in Materiae Medicae cognitione „ facile suo tempore princeps, olim Praeceptor, et „ Hospes meus observandus &c. (*r*). Re vera, quoniam, communi tunc etiam, facilitate supponi virtutes Herbarum medicae quaevis adsertae solerent, plenissima quoque a *Ghino* fides medicis Plantarum usibus adhibebatur, prout ipsius *Ghini* laudationes rerum, pro occultis medicamentis habitarum, tum ineditae, tum formis cusae, testantur.

Digitized by Google

Simillimum veri est, *Ghinum* (quem practicae etiam Herbariae Profeſſoris munere perfungi, et Vireti Piſani Botanici Academici Conditorem per sua consilia fuiſse ſcimus) adſueviſſe, poſthac etiam, Vireti eiuſdem Cultores, ſeu Hortulanos, dirigere, ac moderari. Primus iccirco Praefectus Vireto eidem iure merito nominatur, licet prima fundationis Viretorum Botanicorum Academicorum aetate vocabulum *Praefecti Vireto* nondum uſuvenisset, fortasse quia Botanice practica pro simplici habebatur arte, neque adhuc scientificam prae se ferebat naturam. Hinc opinabile est, a cathedrario Historiae Naturae Professore principiis illis dirigi quidem solitam fuisse Vireti Botanici Academici ſervationem, atque locupletationem, sicuti hodierni adamussim Praefecti Viretis Botanicis Academicis ea dirigunt, ac locupletant; verumtamen primos Historiae Naturae Professores Cathedrarios minime cupere adsuevisse, immo veluti despexisse, ac fere subindignari practicae evulgationem directionis eiusmodi, tunc habitae quodammodo pro momenti parvi re, et veluti parum decora. Quibus de caussis excitatio quaestionis de Praefectura huiusmodi quo ad primos, qui Historiae Naturae Cathedrarii etiam Professoris munere perfungebantur, ad solius quaestionem nominis reduci, quae flocci fiat, videtur. Ipsi etenim, pluribus Botanices utriusque cognitionibus muniti, Hortulanis regendis non tantummodo pares erant, verum etiam necessarii quo ad varietatem curationis, praesertim rariorum, Plantarum, Herbarum, et Florum earumdem, ac Seminum, atque pares insuper philosophicis, sed praecipue Botanicis, itineribus, quae maximi momenti sunt et Viretis servandis accomodatissima, frequenter peragendis, sicuti *Ghinus* ipse ea peragebat, qui varias inde Plantas ad Amicos mittebat, suam de

ipsis Plantis sententiam aperiens (*s*). Hinc celebres haud ita pauci Scriptores nuncupavere Pisani Vireti Botanici Praefectos *Ghinum* ipsum, et *Ghino* successorem *Caesalpinum* prae ceteris, quemadmodum eos nominavere *Rolſincius* (*t*), *Tournefortius* (*u*), *Hallerus* (*x*), *Linnaeus* (*y*), *Caſtellus*, aliique. Catalogus attamen tum *Praefectorum* Pisani Vireti Botanici, tum *Custodum* eiusdem, editus anno 1670 a *Rolſincio*, mendose fuit extractus a *Dominici Vignae* Opusculo edito anno 1625. Vocabulum porro *Simplicista*, a *Vigna* usurpatum pro duobus verbis *Lector Simplicium*, interpretatus est *Rolſincius* ac si *Praefectum Vireto* significaret. Praeterea duae voces *Custos Horti* a *Rolſincio* habitae fuere, ac si declararent, munus *Custodis Horti* differre a munere *Praefecti Vireto*, et veluti subditum eſſe *Praefecto* ipsi, cui re vera subditi *Hortulani* sunt. Quae *Rolſincii* interpretationes a *Dominici Vigna* enarratione aberrant.

Quo ad Cathedrarium *Ghini* munus Pisanum, subit animadvertere, quadragesimo super quartum capite Statutorum Pisani Gymnasii, circa annum 1543 exaratorum iussu Maximi Florentinarum Custodis rerum *COSMAE I.*, quum magnifice Gymnasium idem instauraretur, legi verba: *Deputati ad Lecturam Simplicium legant Dioscoridem*. Qua super re subit etiam animadvertere, praedicto *Ghinum* anno 1544 iussum fuisse, ut e Pisana Cathedra *Dioscoridis* ipsius Librum, qui *De Mineralibus* agit, explicaret, sicuti Gymnaſtica docent Acta.

Quoniam vero *Ghinus* ne dum Herbariam, verum etiam alias Historiae Naturae partes excolebat studio, scilicet *Quaeque arcana tenent Flumina, Terra, Mare*, quumque studii eiusmodi caussa rerum fossilium, ac marinarum quarumdam conlectione gauderet, in proclivi

est

est coniicere, adductum fuiſſe *COSMAM* a *Ghino* ipſo, ut Hiſtoriae Naturae Muſeum efformare occiperet, Gymnaſio Piſano et Vireto Botanico addictum, ſeu mandare, ut paullatim plures illae res ſapienter colligerentur; atque ita eſt opinari, e *Ghini* ſapientia inchoatum fuiſſe hodiernum Piſanum Hiſtoriae Naturae Muſeum, quod raris pluribus mineralibus abundat, variiſque aliis rebus foſſilibus; aliiſque prodigium Naturae aliquod detegentibus, atque intra Tellurem, vel ſub Maris aqua adinventis; corporibus Teſtaceis; Conchis plurimis; Corallis; Piſcibus marinis aliquot; Avibus non obviis; Quadrupedum aliquot ſceletis; &c.

Poſtrema Piſanis Actis Gymnaſticis de *Ghino* mentio legitur ſub die 31 Octobris anni 1555, iuxta Piſanum illius aetatis morem computati, ſive anni aerae vulgaris 1554. Praecitatus autem CL. *Caietanus Monti* (z) pandit, *Ghinum* exceſſiſſe e vita non multo poſt calendas iunias anni 1556.

Plures ex Hiſtoricis Scriptoribus de rebus hiſce *Ghinum* celebrarunt, *Dominicus Vigna* (a), *Stephanus Fabbrucius* (b) ambo Piſani Gymnaſii Profeſſores fato functi, aliique. Pauca vero de *Ghino* perſtrinxerunt, poſt *Ovidium Montalbanum* Bononienſem (c), *Petrus Hotton* Amſtelodamenſis (d), *Linnaeus* (e), *Seguierius* (f), et *Hallerus* (g).

Celebriores e *Lucae Ghini* Inſtitutionibus Alumni, quo ad Botanicam praecipue, evaſere *Caeſar Odonus* Bononienſis, *Andreas Caeſalpinus* Arretinus, *Aloyſius Anguillara* Romanus, *Vlyſſes Aldrovandus* Bononienſis, *Petrus Matthiolus* Senenſis, *Barptholemaeus Maranta* Venuſinus, *Gabriel Faloppius* Mutinenſis, *Franciſcus Calceolarius* Veronenſis, *Rinerius Solenander* Clivienſis, et alii.

ANNOTAMENTA AD CAPVT PRIMVM

(*a*) Pisani Gymnasii Actis leguntur verba „ Die „ Dominico XI. novembris 1543 stilo florentino, vel „ 1544 stilo Pisano, Illustrissimus et Excellentissimus „ Dominus Dominus Cosmus Medices Dux florentiae, „ et pro Eo Magnificus Dominus Philippus del Migliore „ de florentia, Provisor Almi Gymnasii Pisani &c. „ Haec ideo corrigunt paginae 112. lineam 26. Operis, inscripti *Fasti Conſolari dell' Accademia Fiorentina di Salvino Salvini &c.*.

(*b*) *COSMAS I.* ad Matis Etrusci tutelam, qua Etruriae et Commercii Etrusci quies servaretur, atque Amicis suppeditari auxilia possent, decrevit circa annum 1542 constructionem triremium multo maiorum illis, quas Pisana Respublica efformare ſolita fuerat veteri Arce navali, sita antiquo Pisarum Vallo ad occidentem Solem posito, et nominato *la Cittadella*, quod circa XIV saeculi medietatem *Philippi Brunelleschi* ingenio, ut *Vasarius* recitat, aedificatum fuit. Parum laci ideo antiquae ipsius Arcis navalis arcus futuris triremibus exitum, seu translationem in Arnum, denegaturi erant. Arx eadem insuper, fere corruens, velut inepta triremium constructioni evaserat. Huiusmodi de caussis *COSMAS* mense Iunio anni illius 1542 dirui prae ceteris voluit longam muri partem, qui murus, ab Turre Pontis Mari propioris ad Divae *Agnetis* Turrem extensus, Pisanam Vrbem ab Arce navali et Vallo dividebat. Id voluit de novo cogitans Navali aedificando, quod amplioribus arcubus donaretur. LocumMonasterii *S. Viti* delegit, antiquae illi navali Arci propiorem, quo Moniales, Divo *Francisco* devotae, dege-

degebant. VI. igitur Calendas Novembres, seu die 27 Octobris, anni 1544 Moniales illae solemniter fuere traductae in *S. Laurentii de Rivolta* Monaſterium, quod nostra adhuc aetate incolunt. Illius Monasterii *S. Viti* spatium tum Vireti Botanici Academici instructioni, tum novo Navali aedificando, quod amplioribus illis arcubus construeretur, inservii. Vices Provisoris Navalis Pisarum gerens D. *Philippus Bigoncini*, Civis Pisanus, schedula, Etrusco idiomate perscripta nonis Maiis anni 1769 ad Doctissimum Pisarum Medicum *Dominicum Barsanti*, praecipuas ex hisce notitiis, ab veteri Navalis libro erutas, exaravit. Praeterea *Dominicus Vigna*, Pisani Gymnasii Lector Botanices anno 1625, quo suas *Animadversiones in Libros de Historia et Caussis Plantarum Theophrasti &c.* in lucem Pisis edidit, fere sub earumdem Praefationis finem promsit verba „Vt „ intelligere potui a Perillustri &c. *Camillo Mazzolio* „ Canonico Pisano, et iam Philosophiae ac Medicinae „ Doctore, amantissimoque discipulo doctissimi *Caes-* „ *alpini*, et ab aliis Viris fide dignis, olim Viridarium Simplicium positum erat loco, dicto *il Giardino* „ *dell' Arzinale*, quo loco fiunt triremes. Ibi enim „ adhuc virescit pulcherrima Arbor Storacis, Sycomori, „ et vasta Palma „. Quam Palmam inde pagina 105. nominavit *ingentem, quae superat in altitudine moenia ipsa Pisana*.

(*c*) Idem *Vigna* ipsa pagina 105.

(*d*) Saepe *Soderinii* Pisis ea domo morabantur, vel ut Pisano Gymnasio in studia incumberent, sicuti prae ceteris *Thomas Soderinius* Patricius Florentinus anno 1550 Pisis degebat, operae Iuri Canonico dandae gratia, et sicuti *Soderiniorum* Alii, qui inde Gymnasii Pisani evasere Professores. Hi domum ipsam incolebant, ut

Digitized by Google

ut Gymnasio ipsi commodius inſervirent. *Fabbruccius* historicis suis de Gymnasio Pisano Opuſculis V.° VII.° IX.° X.° et XII.° *Soderinios* eiusmodi Professores celebravit, qui Pisanas Cathedras virtutis et praeclarae nobilitatis radiis inlustrarunt, scilicet *Paullus*; *Franciscus*, inde Cardinalis, et potissimus Pontificiae *Leonis Xmi* creationis auctor; *Iohannes Victorius*; demum *Nicolaus*. Hic videtur fuiſſe qui, dum ab anno 1515 ad annum 1527 Iuris Canonici Interpres publicus Pisano Gymnasio vigeret; super ipsius domus suae portam glutinari muro voluit Lapidem, quo sculpi Latinam curaverat Inscriptionculam cum Stemmate (quod idem *Leonis Xmi* aeque ac *Clementis VIImi* fuit) recentiori *MEDICEO*, videlicet sub Pontificiis Coronis tribus, et Clavibus duabus Stemmate, quod aureo onerabatur campo, ut vocant, globulis dumtaxat sex, inferioribus nimirum quinque rubentibus, supremo vero caeruleum colorem ac tria aurea Lilia prae se ferente. Quibus Liliis insigniri id Stemma anno 1465 *LVDOVICVS XI.* Galliarum Rex, Magnifici *Laurentii MEDICEI* gratia voluit. Illius autem Lapidis, paullo ante hunc annum 1776 periclitati, et a porta Domus super Vireti portam translati, Inscriptioncula est, nempe

LAQVEVS. CONTRITVS.
EST. XPVS. DE. COELO. IN.
TERRAM. ADSPEXIT. ET.
NOS. LIBERATI. SVMVS.

(*e*) *Indices Botanici &c. Caietani Monti &c.*

(*f*) Tomo 2.° pagina 61. Operis, cui titulus *Hiſtoria Almi Ferrariae Gymnasii &c. a Ferrante Borſetti &c. I. V. D., etc., Ferrariae a Secretis &c.. Ferrariae.* 1735. 4. *Tom.* 2.... *Dictionnaire Historique de la Mé-*

decine

décine &c. Par M. Eloy. &c. Tome seconde 1755.

(*g*) Idem *Borsettus* ibidem, et praecitatus *Eloy.*

(*h*) *Idem Borsettus* ibidem.

(*i*) *Targioni Prodromo &c.* pagina 94.

(*l*) *Indices Botanici &c. Caietani Monti &c.*

(*m*) *Matthiolus Epiſtola Nuncupatoria*. Quae verba *Medicus doctrinae ſingularis* intelligentia relative ad illud saeculum sunt.

(*n*) *Augustinus de Operariis* Civis et Tabellarius Pisanus, qui anno 1544 vulgaris aerae, seu 1545 moris Pisani, Scribae Gymnasii Pisani munere fungebatur, scripsit huius Archivi Academici Libro verba „ Die „ Dominico prima Martii anni 1545. stilo Pisano coha- „ dunati, et congregati Excellentissimi Doctores Almi „ Collegii Artistarum Studii Pisani in Sacrestia Ecclesiae „ Sancti Michaelis in Burgo &c; incontinenti aperta „ capsula, in qua clauduntur bursae Collegiorum dicti „ felicis Studii Pisani, et aperta bursa, ubi sunt im- „ burſati omnes Doctores dicti Collegii, in eadem bursa „ posuerunt, et imbursaverunt Dominum Lucam Ghini „ de Imola, noviter a Sua Excellentia conductum „.

(*o*) Praefatione ad Librum, inscriptum *CL. Petri Antonii Michelii Catalogus Plantarum Horti Caesarei Florentini &c. Florentiae*. 1748. Cuius Libri Praefatione, pagina XV, adnotanda sunt etiam verba: *In Horto Florentino extruendo, ornandoque, Cosmus, quemadmodum et in Pisano fecerat, usus eſt conſilio Lucae Ghini* (8) *Leopoldo del Migliore Firenze Illustrata pag.* 238.

(*p*) Libro *Prodromo Targionius*.

(*q*) Pagina 455 secundae editionis Italicae, nempe anni 1768, secundi Tomi Florentiae editi *Relationum Itinerum aliquot per varias Etruriae Partes factorum a Targionio Tozzettio*.

(*r*) Pagina 384. secundae eiusdem editionis Tomi octavi, anno 1775 Florentiae editi.

(*s*) Isagoge in *Inſtitutiones Rei Herbariae Tournefort.*

(*t*) Pagina 136. Cap. VII. Operis, cui titulus *De Vegetabilibus &c. Ienae* 1670.

(*u*) Isagoge in *Institutiones Rei Herbariae Tournef.*

(*x*) *Adnotationibus ad Method. Studii Medici Boërhaave De Botanica* Tomo primo, inde *Bibliothecae Botanicae* Tomo primo, paginis 329, et 436.

(*y*) *Linnaeus Bibliotheca Botanica. Amstelodami.* 1736, pagina 67.

(*z*) *Indices Botanici &c.* Accedit *Brevis Historia Horti Bononienſis &c.*

(*a*) *Dominicus Vigna* Florentinus, et huius Gymnasii Professor, qui anno 1625 Pisis suas edidit *Animadversiones in Libros De Historia et Caussis Plantarum Theophrasti*, et qui Pisanis Actis Gymnasticis oculos admovisse numquam videtur, eo quod praefatione quo ad epocham *Ghiniani* curriculi Pisani mendose scripserit, subdidit verba „ De *Ghino* pluribus in locis facta fuit „ mentio a *Petro Matthiolo* Senensi supra *Dioscoridem*, „ ab *Aloysio Anguillara* in suo libro *De Simplicibus*, „ a *Iohanne Pona* Veronense in sua Descriptione Montis „ Baldi, et ab aliis Recentioribus Herbariis et Scri- „ ptoribus, a quorum altero, nempe *Thoma Garzonio* „ *Ghinus* inter Recentiores Simplicistas Princeps voca- „ tur „.

(*b*) *Fabbruccius* Opusculo suo XIV, edito typis octavo Tomulo *Collectionis Calogerianae secundae* Venetiis anno 1761, (qui *Fabbruccius* et ipse ab disputatione de *Ghini* patrio loco temperasset, si ineditos huius Gymnasii Actorum codices perlustrasset,) de *Ghino* haec retulit, a me selecta „ Postquam annos fere viginti in

„ Bono-

„ Bononiensi Vniversitate Medicam artem, et Botanicam professus fuerat, ad nos fausto omine sese contulit anno 1546 „ (re vera 1544, sicuti modo probatum fuit), „ alter *Dioscorides* a *Matthiolo* honorificentissime nuncupatus &c.. *Ghini* Scripta *Ovidius Montalbanus* maximi „ fecit, et in suis Pluteis cum aliis ſingularibus diu „ caute custodiit &c... Typis pluries edita sunt, sed „ semper infelici curae exitu, *Ratio curandi Morbi Neapolitani, nec non Experimenta quaedam pratica aliis* „ *Operibus admixta* (*Georg. Merklin. in Lindenium renovatum &c.*). Non obstante autem paucitate medicarum productionum penes nos audit tamquam „ auctor Botanici Studii, et in Academia nostra Pisana „ benemerentiſſimi fundatoris, atque idcirco in aedibus „ Viridarii, inter ceteras, eius imago servatur &c.... „ Anno 1556 „ (re vera 1554.) „ in pristinam Bononiensem sedem rediit, et biennio post, aetatis circiter „ sexagenarius, e vita excessit (Caietanus Monti in „ Hiſtoria Horti Bononiensis) „

(c) *Bibliotheca Botanica, seu Herbaristarum Scriptorum Promota Synodia &c. Io. Antonio Bumaldo Bononiensi Collectore. Bononiae* 1657. —— *Hagae-Comitum*. 1740. Hac *Bibliotheca Botanica Ovidius Montalbanus* Bononiensis nescire visus est, Popularem suum *Lucam Ghinum*, de quo perscribebat, annis decem, imo fere XI, Etruria commoratum fuisse. Porro eo Opere exaravit verba „ Lectiones illius „ (nempe *Ghini*) „ Botanicae „ de singulis Herbis, simplicibusve medicamentis, ab eo „ publice dictae in Archigymnasio Bononiensi per 28. „ annos continuos usque ad annum 1555, in amplo „ volumine restrictae asservantur manu scriptae &c. „ Quem chronologicum de annis 28 errorem vel *Montalbanus* a *Pellegrino Ant. Orlandio* (*Notizie delli Scrittori*

F Bolo-

Bologneſi), vel *Orlandius* a *Montalbano* exſcripſit, et quem inde ſequutus fuit clariſſimus *Io. Astrucius* tomo secundo *De Morbis Venereis*, quo legitur epitome praecitati *Ghiniani* Operis, inſcripti „ Morbi Neapolitani „ curandi ratio perbrevis *Spirae Nemetum* anno 1589. „ „ Extat ad calcem Praticae Theoricae empyricae *Iohan.* „ *Marquardi &c.* typis Bernardi Albini „

(*d*) *Sermo Academicus, quo Rei Herbariae Historia et ſata adumbrantur &c. Lugduni Batavor. apud Elzevirios*. 1695. 4.

(*e*) *Caroli Linnaei Bibliotheca Botanica. Amstel.* 1736. 8.

(*f*) *Bibliotheca Botanica &c. a Ioan. Franc. Seguierio Nemansense digest. &c. Hagae-Comitum*. 1740. 4.

(*g*) *Bibliotheca Botanica qua scripta ad Rem Herbariam facientia a Rerum initiis recensentur Auctore Alberto van Haller &c. Tiguri* 1771. *&c.*

CAPVT II.

CAPVT II.

DE SECVNDO PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO *ANDREA CAESALPINO*.

Luca *Ghino* Bononiam reverso sub anni reparatae salutis 1554 finem *Andreas Caesalpinus* nobilis Arretinus successit natus anno 1519, et doctarum hederae praemia frontium consequutus die 20 martii anni 1555 Pisano Archiepiscopali palatio ex viginti et duorum Pisani Collegii Gymnasii Doctorum decreto.

Quo ad Naturae Historiam, qua emicuit, praelaudato Institutore *Ghino* iugiter usus fuit Pisis; quo ad Humani Corporis Anatomen primis tyrocinii quinquennalis annis Clarissimo *Realdo Columbo* Cremonensi, eximio Anatomes tum theoreticae, tum practicae Magistro, ac Dissectore, Patavina primum, dein Pisana, postremo Romana Academiis; quo vero ad artem Medicam dogmata a Celebratissimo in primis *Guido Guidio* Florentino hausit, qui ab anno 1542 ad 1548 Lutetiae Parisiorum optimis conditionibus degerat inter *FRANCISCI* Galliarum Regis Archiatros cooptatus, inde in Etruriam redierat, a *COSMA I.* (qui et Ipse Viros doctrinae laude florentes conquirebat undique) revocatus, ut Medicinam non modo faceret, sed Pisis publice etiam doceret amplissimis stipendiis, demum creatus Pisciae Praepositus, Episcopali adauctus iurisdictione super etiam Nebulensis Vallis Pagos XVI.

Philippus ille *Meliorius* litteratissimus Pisanum feliciter curabat adhuc Gymnasium sub anni illius 1554.

finem, quo Pisani Vireti Botanici Academici Praefectura, et publica Naturae Historiae Cathedra, conlatae *Caesalpino* fuere, quo anno *Meliorius* ad Pisanum Gymnasium e Ticinensi Professores alios vocavit, et conquisivit.

Huius Gymnasii Pisani Actis anni Christianae aerae 1555 prima *Caeſalpinus* vice, huiusmodi promotionis caussa, nominatur, quem a Scriptoribus etiam inde multis nuncupatum fuisse Pisani Vireti Botanici Academici Praefectum secunda supra trigesimam pagina probavimus.

Vestigiis *Ghini* inhaerens *Caeſalpinus*, per meditationes, laboresque incubuit, ut Botanice indueret verae ſcientiae formam, atque ut Viretum Botanicum, nec non Historiae Naturae Museum, sibi credita, eo magis spectabiliora redderentur.

Meminisse iuvabit, *Caesalpinum* fuisse a Clarissimo Botanico Gallo *Belono*, per Pisas transeunte anno ipso 1555 conventum, atque auditum, ideoque nuncupatum *in re Herbaria virtute insigni praeditum* a *Belono* eodem, dum vigesimum praecitati Operis *De Neglecta Stirpium Cultura* Problema agitabat, sicuti decima nona superius pagina innuimus, addentes duabus Pisano Vireto Botanico Arbusculis *Laurocerasi*, perpetuo virentibus, *Belonum* a *Caesalpino* tunc donatum fuisse. Quam dives, et elegans eo anno 1555 vigeret Pisani Vireti Botanici Academici status, vel conditio, nos edocet, vigesimum idem Problema, anno circiter 1556 (*a*) conſcriptum. Eo enim, ut revocandum in mentem est, legitur, *Pisanae Academiae Hortum magnis sumtibus coli, inque ipso Horto plurimas pulcherrimas Plantas educari, et multa eiusdem rara, et excellentia quaeque nusquam alibi inveniri.* Quam *Beloni* enarrationem adnotavimus notitiae congruere, a *Conrado Gesnero* prolatae, scilicet *COSMAE I. Hortum*

pere-

peregrinitate Stirpium excellere, quamvis *Geſnerus* eam protulisset, fortasse numquam Pisis ob paupertatem (*b*), conspectis, ideoque ipsam protulisset, fortasse non de Pisano Vireto Botanico perscribens, sed de Botanico alio *COSMAE I.* Vireto. Qua hypothesi ex ipsa *Gesneri* pronunciatione eruitur, in proclivi esse putare, *COSMAM* voluisse, ut eo magis Pisanum Viretum Botanicum Academicum peregrinitate Stirpium excelleret, ut etiam Adolescentes, qui Gymnasio Pisano studerent, haud vulgarium quoque exoticarum Herbarum copiosiora genera, et species addiscere facile possent, sicuti ipsarum Herbarum depraedicatas potestates medicas, quarum notitiis *COSMAS* praeterea delectabatur plurimum.

Caesalpinus Telluris studere superficiei quidem solitus erat, nempe vegetabilia corpora pervestigare, atque itinera Botanica facere (*c*), sed etiam intestina Telluris ipsius adsueverat philosophice inquirere, fossilia nempe corpora examine perscrutari, quibus sinus Telluris redundat. Pisano potissimum Monte Herbas decerpere in deliciis habebat, atque Montis eiusdem interiora indagationibus, ad Naturae Hiſtoriam ſpectantibus, perlustrare, quemadmodum suo comperitur *De Plantis* Opere, quo libris sexdecim accurate numerosiores mille et tercentis Plantas descripsit, et quod aetate nostra etiam commendatur, licet minus quam *Matthioli*, ac *Fuchsii* Opera, fortasse ob figurarum desiderium, celebratum fuerit, et quod ipsum *Caeſalpini* Opus *Petrus Antonius Michelius* Florentinus, multis itineribus Botanicis susceptis, perquirendo, observando, adnotando, edendoque sub titulo *Nova Plantarum Genera*, mirifice iuvit (*d*).

Verum *Caeſalpinus* non solas Europae Plantas, pau-

paucasque Asiaticas, quae Veteribus innotuerunt, perspicere gaudebat, et acquirere, verum etiam plures, quas novi Terrarum Orbis, Indorumque Orientalium commercium luxui Viretorum, ac deliciis suppeditabat (*e*).

Botanicen in philosophicum systema redegit, industrie imaginatus methodum (*f*) Vegetantia in ordinem disponendi, nempe in genera et species, quae sub certo locarentur classium numero, desumtis characteribus ab immutabilibus, quae fructum gignunt, partibus, non autem ab accidentalibus durationis ac magnitudinis Plantarum signis, neque ab earum medicis, plerumque incertis, potestatibus. Iuxta systema idem duas cadaverum Herbarum papyro glutinatarum conlectiones confecit, quarum alteram *FRANCISCO MEDICEO* dono dedit, ut et aliam, quam pingi curaverat.

Hasce omnes ob res *Caesalpini* doctrinae fama, quo ad Naturae Historiam potissimum, adeo percrebuit, ut *Ghini* Institutoris, atque ceterorum Historiae Naturae Cultorum saeculi illius XVI, qui veterem Herbariam instaurarant, famam superaverit, noſque *Caesalpini* ipsius Laudatorum copia gaudeamus, e quibus praecitati *Hallerus*, et *Durazzinius*, supereminent.

Quo ad Humani Corporis structurae scientiam primus dicitur (*g*) maiorum vasorum valvulas adinvenisse, atque arteriarum inosculationes in venas, et Sanguinis Circuitum per Pulmones animadvertisse ita, ut firmiora iacerentur fundamenta, quibus *Harvaeus* universum Sanguinis eundem Circuitum detegeret. Imo *Astrucius* (*l*) maiora hac super re exposuit, nempe:
„ Primus omnium fuit &c. Doctrinam de Circuitu
„ Sanguinis *Caesalpinus* non adumbrat modo, sed aperte
„ describit, adhibita vel ipsa *Circulationis* voce, quae
„ nunc usu viget. Quo circa, si rei veritas, ut par

Digitized by Google

„ est, attendatur, *Caesalpinus* dogmatis illius inventor, „ et auctor habendus est, cuius *Guillelmus Harvaeus* „ promotor tantum, et amplificator fuerit „. *Hallerus* verba (*i*) modo insequentia exaravit, ſcilicet „Solent „ ubique *Caesalpinum* extollere, quod ante *Harvaeum* „ Circulationem invenerit. Vt vero iusta fiat aestimatio „ meritorum *Caesalpini*, tenendum est, Circulationem „ minorem, quae per Pulmonem fit, pluribus Scripto- „ ribus egregie notam fuisse, *Galeno* nempe *Du Vsu* „ *Partium* libr. VII, et *Michaëli Serveto* libro *De* „ *Trinitate*, *Realdo Columbo de Re Anatomica* libro „ septimo, *Pigafettae Faloppii* discipulo, et Aliis. *Quaeſtio-* „ *num Peripateticarum* in primis opere locus de Circu- „ latione minori continetur libro V. capite IV. Maior „ vero Circulatio, qua Sanguis ab extremis arteriis in „ venas transit, atque cor versus redit, paucissimis „ tacta est. De ea *Caesalpinus* cogitata aliqua reliquit, „ in systematis vero speciem numquam constituit „ *de Plantis* libro primo capite secundo, ubi alimen- „ tum a venis ad cor duci, inde per arterias in to- „ tum Corpus adduci ait; non satis tamen manifesto „ addit, ab arteriis Sanguinem in venas reddi. In „ *Quaestionibus* vero *Medicis* observatam venarum intu- „ mescentiam, quae fit in ligatis venis inter partes „ extremas et vinculum, explicat ex calore nativo, „ qui ex arteriis in venas per anastomosim transeat „. Mirandum videtur, a nemine Scriptore excitari hac super re eruditissimum iuniorem *Vossium*, nempe *Isaacum*, qui anno 1685 (*k*) publice emisit verba, nempe „ Periodum Sanguinis, quam vulgo *Circulationem* „ vocant, iam a mille et pluribus annis, Seribus notam „ fuisse testantur Illorum libri. Quum scriptum de „ pulsibus, et Sanguinis in Humanis Corporibus Cir-

„ cuitu

„ cuitu ex Sinico sermone translatum in lucem prodie-
„ rit, non est ut de eo amplius dubitemus. A Merca-
„ toribus Venetis Sinas terrestri itinere petentibus,
„ et postea a Patribus Societatis Iesu, superiore etiam
„ saeculo sparsi fuere rumores de peritia huius Gen-
„ tis in tractandis pulsibus, atque periodica Humani
„ Sanguinis revolutione. Qui primus Circulationis San-
„ guinis in scriptis meminerit, nisi fallor, est *Andreas*
„ *Caesalpinus*. *Paulo Sarpio* Veneto imprimis haec
„ sententia placuit, a quo persuasus Anglus quidam
„ librum de Circulatione Sanguinis conscripſit, qui ta-
„ men, quod nullum approbatorem inveniret, ab ipso
„ fuit suppressus Auctore. Multis postea annis idem
„ argumentum suscepit *Harvaeus*, et quidem feliciori
„ successu. Adeo tamen pauca sunt quae Christianis
„ hactenus innotuere, ut, si cum Sinarum comparentur
„ observationibus, non magni esse videantur momenti.
„ Norunt illi iam a tot annorum millibus quid mo-
„ veat Sanguinem, qua deinceps via, quibus menſuris,
„ quantis intervallis, quantoque temporis spatio, sin-
„ gulae periodi et revolutiones procedant, et perfi-
„ ciantur. Certissimis indiciis, et ipso quoque attestante
„ tactu, deprehenderunt, in Corporibus iustae staturae,
„ et bonae valetudinis, Sanguinis Cursum viginti et qua-
„ tuor horis, seu spatio diei et noctis, quinquagies
„ orbem suum revolvere &c. „.

Anatomicas iuxta notiones *Caesalpinus* Morbos curavit, eosque descripsit. Horum descriptioni respondentem cuiusque partis Humani Corporis anatomicam historiam brevem praemisit (*l*), ad Nosologiam transiens, quam pariter a potioribus hauserat Clinicis, inde ad pharmacologiam, de qua si verum fas est dicere, licet Ipsi aureae simplicitatis laus frequens tributa fuerit,

attamen

attamen edita *Caeſalpini* opera eumdem commonſtrant credulitate illa occupatum, atque imbutum, quae immensa, illius etiam more saeculi, mentes obruebat (*m*) haud minus quam praecedentibus, quo ad suppositas ut plurimum, Herbarum, partium Animalium plerorumque, Metallorum, aliarumque rerum fossilium innumerarum, potestates medicas omnigenas, pro indubiis habitas, quamquam plerumque imaginariae sint (*n*).

Neque dissimulaverim, *Caesalpinum* phantasmatibus *Aristotelis*, scilicet futilibus Peripateticae Philosophiae quaeſtionibus, ac dogmatis, toto vitae curriculo mordicus adhaesisse, atque ab eiusmodi adhaesione famam doctrinae *Caesalpini* imminutam aetate nostra esse. Re vera adhuc traditio viget, luculentam aliquando per Humanum Cerebrum demonstrationem ministratam *Caesalpino*, videlicet Ipsi demonstratum fuisse, Nervos a Cerebro oriri, a Corde vero non item; *Caesalpinum* autem respondisse, se quidem videre id verum, sed nimis clarum esse *Ariſtotelis* textum, ideoque anteferendum. Nemo nescit, *Aristotelem* tunc temporis, Scholarum veluti idolum quo ad res philosophicas subspectum fuisse, sicuti *Galenus* subspiciebatur quo ad Medicas. *Caesalpinus* igitur *Galeni* sententiis deliramenta *Aristotelis* anteferre solebat, id ipsum declarantibus praecipue *Quaestionum Peripateticarum* libris quinque, quos *Caesalpinus*, *FRANCISCO MEDICEO* Magno Etruriae Duci secundo dicatos, anno 1571 Venetiis edidit, et demonstrante id ipsum *Appendice* ad easdem *Quaestiones* et ad libros *De Plantis*, quam Romae initio anni 1603 ad Equitem *Baccium Valorium* Patricium Florentinum inscriptam misit, virtute omni cumulatissimum Administrum a penitioribus apud Magnum Ducem *FERDINANDVM I.* consiliis.

Quo ad Pisani Gymnasii Cathedram *Caesalpini*, Ipse iuxta *Dominicum Vignam* (*o*) = Lecturam Simplicium professus fuit ab anno 1555 ad annum 1569, quo incoepit legere Practicam Ordinariam Medicinae, eoque anno 1569, et 1570, legebat diebus Iovis et festis Simplicia Medicinae, diebus vero non festis Medicinam practicam Ordinariam. Ab anno autem 1570 ad totum moris Pisani annum 1592 Medicinam tantummodo practicam legebat, adeo ut Pisis Lecturam publicam 36 annos continuos exercuerit, nempe sexdecim annos Simplicia, et reliquos xx annos Medicinam. Postmodum die 8 Septembris eiusdem anni 1592 vocatus a S. *Clementis VIII.* (favore *Michaëlis Mercati* de Sancto Miniate, quondam discipuli *Caesalpino* ipsi addicti, et inter S. D. N. familiares facile primi) Romam adiit, ubi XI. annos Medicinam supraordinariam publice professus fuit cum stipendio mille scutorum, quorum sexcentos a S. P. Q. R. accipiebat pro Lectura, et CD a Camera Apostolica tamquam Medicus suae Sanctitatis &c.. Tandem annos agens 84 die 15 martii anni 1603 pleuriticus obiit =.

Ore Hominum est adhuc, *Caesalpinum* anno illo 1592, quo sibi antelatum cognovit *Hieronymum Mercurialem* Foroliviensem, novissime tunc ad Pisanam Cathedram medicam primariam evectum stipendio millium centussium, et vastissima selectioris eruditionis laude, atque odioso *Supraordinarii* titulo, sese a Pisano Gymnasio abdicasse, et praedictis duabus novis dignitatibus medicis munitum Romam adiisse (*p*), qua inde anno 1596 breve *De Metallicis*, Marmoribus, ac Gemmis Opus perscripsit (*q*), simplici eodem stylo, atque ordine, quos praecitato *De Plantis* Opere adoptaverat (*r*).

E

E *Caesalpini* discipulis instar omnium fuit *Galilaeus Galileius*, qui annis 1582, 1583, et 1584, Medica dogmata (licet studium Medicum quodammodo aversaretur) a *Caesalpino* praeſertim audiit, numerosioribus vero annis alacriter Naturae Historiam, qua inde et ipse *Galileius* claruit (*s*), et quam auxit plurimum (*t*), postquam anno 1589 Vir summus Institutoris collega evasit, magna exempla daturus, et totam revoluturus Phyſicen ita, ut nova Phyſice, et Mathesis, tamquam Patri, lucem suam *Galileio* debeant, atque scientia Medica non minus, quam disciplinae aliae. Peripateticae enim Scholae tenebras dissipavit, primus clara atque intelligibilia edocens, et potissimum quaerendas eſſe continuo per profundiorem geometriam naturales motuum mechanicorum leges, et caussarum naturam, ut Physices myſteria aperirentur. Ex *Galileii* experimentis praeſertim de Aëris pondere, Physice prorſus nova emerſit, et ad *Galileium* referri doctrina debet aliorum plurium Italorum insignium Virorum *Viviani*, *Torricellii*, *Alphonsi Borellii*, *Malpighii*, *Famiani Michelinii*, &c., ut et Externorum *Huygenii*, *Leibnitzii*, *Bernoullii*, *Kepleri*, *Keillii*, *Boylei*, *Harveii*, *Paſchalii*, *Malebranchii*, *Nevvtoni*, &c., ita ut iuxta *Fontenellium Galileii* nomine insignienda sit quaevis detectio post tantum Virum facta.

Praefectura Pisani Vireti Botanici Academici quoad *Caesalpinum* vicibus aliquot obnoxia fuisse liquet. Annis siquidem 1558, et 1559, *Aloysius Leonius*, peritissimus Botanicus, quem ex *Ghini* alumnis alterum fuisse subspicatur Cl. *Targionius Tozzettius* (*u*), familiarum *COSMAE I.* Albis nominari *Simplicista Generalis Studii Pisani* occoepit, anno autem 1563, qui postremus est, quo nominatus inveniatur, tantummodo *Simplicista* nuncupatur. Quoniam hac super re Gym-

nasii Pisani Actis aliqua notitiarum folia desiderantur, similitudino veri circumſtantiarum suadet, *Caesalpinum* anno illo 1563 iterum Praefecturam ipsam suscepisse, atque ea perseverasse usque ad annum 1583, quo *Laurentius Mazzanga* Bargacus ad id officium promotus legitur iiſdem Gymnasii Pisani Actis, regnante *Caesalpini* protectore *FRANCISCO MEDICEO*, qui usque anno 1568, natus annos 27, publici Regiminis gubernaculis admotus fuit, totumque Statum, Patre *COSMA I.* concedente, moderatus (*x*). *Leonium*, et *Mazzangam*, minus diligenter *Dominicus Vigna*, atque *Rolfincius* neutiquam nominavere. *Rolfincius* insuper male itidem pro Praefectis Pisano Vireto Botanico Academico habuit *Thomam Mesman* Germanum, qui unico anno 1571, *Baldellum Baldellium* Cortonensem, qui ab anno 1572 ad 1583, et *Camillum Christophori* Montemartianensem, qui ab anno 1582 ad 1596, Cathedrarii tantummodo *Simplicistae*, ut vocant, Professores Gymnasio Pisano fuerunt, quales praecitatus Ipſorum successor, et propior, *Dominicus Vigna* (*y*) idem recte nominavit.

ANNOTAMENTA AD CAPVT SECVNDVM

(*a*) Non modo eo anno 1556, verum etiam usque ad annum 1564, Gallus ille *Belonus* vitam vixit, quo anno 1564 prope Parisios peremtum fuisse narravit Gallus *Eloy* suo *Dictionnaire Hiſtorique de la Médécine*, quod anno 1755 publici iuris factum fuit. Id narravit, quamquam anno 1740 Cl. *Seguierius*, Veronae apud Cl. *Maffeium* degens, *Bibliotheca Botanica* ſua adseruiſſet, *Belonum* obiisse Romae anno 1555, confundens annum mortis Galli *Petri Gilles* cum *Belonianae* mortis anno, qui

qui *Gilles*, dum philosophica itinera cum *Belono* faceret, re vera anno 1555 obiit, id signante scriptore *Gallo* celeberrimo *De Thou*, quem *Thuanum* dicunt.

(*b*) *Conradus Gesnerus* (ita Gallice recitat *Ant. Teissier* Elogiis Virorum Eruditorum) „ contexuit *Biblio-* „ *theca* sua propriae vitae Hiſtoriam, qua ingenue fatetur, „ Opera sua tam accurate, et tam diligenter, elaborata „ non esse, ac optandum foret, eo quod propter ſortis „ suae miseriam teneretur, libros ad victum ſibi com- „ parandum elucubrare, et proinde sine mora evulgare „ coactus &c. „ — pagina etiam 663. Operis, cui titulus *Censura Celebriorum Authorum &c. Thomas Pope-blount &c. Genevae*. 1710. Id ipſum referunt praecitatus *Eloy*, Aliique.

(*c*) Cl. *Targionius Tozzettius* pagina 94 libri, cui titulus *Prodromo della Corografia &c*.. Cl. *Antonius Franciscus Durazzinius* doctissimo suo de *Andrea Caesalpino* Elogio, quod, Etrusco idiomate exaratum, typis editum legitur tomo tertio Operis, inscripti *Elogi degli Vomini Illustri Toscani*.

(*d*) *Fabbruccius* historico Opusculo suo XIV, quod anno 1761 litteris mandatum fuit octavo tomulo secundae *Calogerianae* Conlectionis &c... *Antonius Cocchius* Florentinus Medicus longe praeclarissimus, anno 1737 docto Elogio de amicissimo quondam suo *Michelio* Florentino Botanico eximio adſeruit, *Michelium* ipsum commentatum fuisse memoratos sexdecim *De Plantis* libros a *Caesalpino* conscriptos. Cl. *Targionius* autem praecitato libro *Prodromo* pagina 94 anno 1754 profatus est „ Annotazioni fatte da incerto Autore all' Opera „ *De Plantis*, le quali conservo manoscritte nella mia „ librerìa „.

(*e*) Praelaudatus Cl. *Durazzinius* ibidem.

(*f*)

(*f*) *Boërhaave Method. Studii Medici* Capite *De Botanica* haec habet „ *Caesalpinus* primus eam metho-„ dum invenit distinguendi a fructu &c. „. Quibus verbis Cl. *Hallerus, Conradum Gesnerum* Popularem ſuum *Caesalpino* anteferens, addidit verba, nempe „ Primus de „ methodo cogitavit *Conradus Gesnerus*, eaque de flo-„ re sumta, et a fructu &c... Primus aliquam methodum „ in Botanica adtulit utique *Andreas Caesalpinus*, de „ quo &c... Classes naturales invenit plurimas, amen-„ taceas, apetalas, herbaceas, cucurbitaceas, umbelliferas, „ tetrapetalas, cruciatas, liliaceas, gymnotetraspermas, „ asperifolias, didynamias, radiatas, &c., filices „. Pagina vero 83 tomi primi Adnotationum ad eamdem *Method. Studii Medici*, edit. Venetiis 1753, legitur ipsius *Halleri* sententia de Botanica *Caesalpini* doctrina, editisque Operibus, scilicet „ Vir ingenio perspicaci, sed Ariſto-„ telicis theoriis nimis implicatus, ut in aliena varia, „ et ipsam denique Vniversi cum Deo identitatem de-„ lapsus fuerit. In rebus vero, sensibus subiectis, ubi „ neminem sequebatur ducem, viam veri constantius „ sequutus est. *Caesalpinus* equidem constituit genera „ aliqua naturalia, minus nota superioribus, ex semine „ maxime desumta, ut pomiferas, umbilicatas, &c., „ quas classes fere omnes recepit *Morisonus*, nempe „ uniloculares, &c.. Diversitatem tamen in utriuſque „ methodo reperias, exquiſitiore attentione adhibita. „ *Caesalpinus* enim a receptaculo, ſive placenta, genera „ deducit, *Morisonus* a loculis. Hinc, ubi tria sunt re-„ ceptacula fructus, *Caesalpino* numeratur cum trilo-„ cularibus, separatur a *Morisono*, et refertur ad unilo-„ culares. Quare, quum istius methodus laxior, et „ multo imperfectior sit, quam *Caesalpini*, non videtur „ eo auctore valde usus eſſe „.... Scripsit *De Plantis*

„ li-

„ libros XVI, Florentiae 1583 excuſos cum breviſſima „ de quibuſdam Aromatibus Appendice, quae anno „ 1603 Romae prodiit, et *Sylvii Boccone* Muſeo Plant. „ p. 115 inſerta fuit. Eximium Opus eſt, ſed difficilis „ lectionis, quod Stirpium nomina Etruſca fere ponat „ nullo cum ſynonymo. Ceterum primus ſyſtema ex „ receptaculo fructus perfecit, idque feliciter perſequu„ tus eſt. Deſcriptiones breves, ſed utiles; virium „ tractatio fere ex Veteribus. Plantas fere omnes abſque „ ulla recentiorum Auctorum memoria, aut citatione, „ ex ipſa Natura diligenter, et cum optimis notis „ deſcripsit, nomina praefixit Etruſca, edidit vetuſta, „ ſaepe valde paradoxa. Ob defectum ſynonymorum „ difficilis eſt intellectu, maxime Exteris, quum Alpinas „ ſaepe vocet Plantas, quae nobis abunde in planitie „ calida proveniunt „. Iudicium inde alterum de iisdem *Caesalpini* Operibus *Hallerus* idem promſit *Bibliothecae Botanicae* ſuae tomo primo, quem anno 1771 edidit, pagina 362 sub numero CCCLVII. „ Herbas ſiccas „ non minimo numero ad 760 collectas reliquit, quae „ ad *Michelium* pervenerunt, et methodi intima per„ vidit, quatenus claſſes ex fructu fingi poſſunt &c... „ *De Plantis* &c. fructificationes, ut nunc vocantur, „ partes tradit, multum autem corde utitur, sive se„ minis ea parte, in qua radicis, et germinis, est „ principium, quum reliqua farinosa pars alimentum „ ſuppeditet &c. Plantarum numerus eſt 1520 &c.. Ca„ talogum Plantarum Horti ſicci *Caesalpini* paraverat, „ et impreſſurus erat *Stephanus Roſelli*. *Targioni* l. *c*.

(*g*) Gallus *Eloy* ſuo *Dictionnaire Hiſtorique de la Médecine &c.*. Cl. *Durazzinius Caeſalpiniano* Elogio, Aliique.

(*h*) *Astrucius De Morbis Venereis* Tomo ſecundo pagina 304. Venetae editionis anni 1748.

(*i*)

(*i*) Cl. *Hallerus* Adnotationibus suis ad *Method. Studii Medici Boërhaave*.

(*k*) *Isaaci Vossii Variarum Observationum Liber. Londini*. 1685. 4. pagina 71.

(*l*) Idem Cl. *Hallerus* ipsis suis Adnotationibus haec protulit „ *Caesalpini* Artis Medicae Speculum Hippocrati- „ cum, simplex, et ordinatum Opus, praefixa Anatome Par- „ tium, tum Morbis subiectis, ultimo Medicamentis, „ et Formulis.

(*m*) Genuina *Hippocratis* usque Opera, qui Naturas esse Morborum medicatrices scripsit, et cui aureae eiusdem simplicitatis methodi Medendi laus tribui adſolet, nihilo minus innumeris scatent remediorum incredibilium, absurdorumque laudationibus. Eo facilius inde laus ipsa tributa fuit aliis etiam Scriptoribus Medicis, licet ipsorum Opera farragine prodigiosa imaginariorum medicamentorum redundent.

(*n*) Praecipue Cl. *Antonius Cocchius* Florentinus id adseruit pluribus Operum suorum locis. *Maupertuisius* vero suis Epistolis editis anno 1752, nempe XVI.ª, scripsit: „ Observez l' effet de chacun Remède, vous verrez „ qu' à l' exception du Quinquina, de l' Opium, et „ du Mercure, toutes ces vertus sont imaginaires „.

(*o*) Praefatione ad *Animadversiones &c. in Libros De Historia et de Causis Plantarum Theophrasti per Dominicum Vignam. &c. Pisis*. 1625.

(*p*) *Fabbruccius* Opusculo XIV.°

(*q*) Cl. *Hallerus* suis ad *Method. Studii Medici* Adnotationibus haec prodidit „ *De Metallicis* Libri tres Romae „ 1596, et Norimbergae a *Sonero* recusi. Simplex est „ Opus absque multa caussarum inquisitione, tractatio „ de omnibus fossilibus, nam solus tertius liber Metalla „ tractat *Pliniano* more, et eo, quem in Plantis sequutus

„ est

„ est . Veterum descriptiones, et virium Medicarum „ enarrationes refert, additis quibusdam suis, aut Re- „ centiorum, experimentis, plerumque nihil habentibus „ reconditum.

(*r*) Cl. *Durazzinius* Ibidem.

(*s*) Senator *Philippus Bonarota* suarum *ad Monumenta Etrusca Operi Dempsteriano addita* Explicationum et Coniecturarum articulo XXXIX, cui titulus *Etruscorum Studium erga Scientiam Rerum Naturalium, in quo etiam recentiores Etrusci excelluere*, mox insequentia pandit verba „ Nihil mirum, si idem Studium Rerum Na- „ turalium, in quo versatos Antiquos nostrae Regio- „ nis Habitatores vidimus, etiam in recentioribus Etru- „ scis maxime viguerit, et vigeat. In eo enim, inter „ plures alios, claruere *Andreas Caesalpinus*, et *Michaël* „ *Mercatus*, et qui in Natura leges Geometriae agnovit „ *Galilaeus*, et *Academici del Cimento* dicti, qui auspiciis „ Principum *Mediceorum* viam experimentis, et penitiora „ Rerum Naturalium secreta indagandi Europae Eruditis „ aperuere, et *Franciscus Redi* Arretinos, &c. „.

(*t*) *Galilaeus Galileius* auxit plurimum Naturae Historiae cognitiones, quum non modo perscrutari

Quaeque arcana tenent Flumina, Terra, Mare,

adsueverit, verum etiam Coelestia saepe corpora observare per excogitata, et peracta ab se ipso Teleſcopia, maxima tot novarum Astronomiae physicae notionum acquisitione. Immensa etiam Historiae ipſius Naturae acceſſio facta fuit a Microscopio, quod *Galileius*, paullo ante *Caesalpini* mortem, adinvenit, et pluries confecit, quo minimas observare penitus datur res, quae, licet oculis proximae, tamen prorsus sunt invisibiles. Minimorum praecipue Animalium, quae *Inſecta* dicuntur, partes, earumque structuram observavit *Galileius*, Microscopio

quo inde Seminibus Plantarum minimam radicem, et germen, aliasque perexiguas Herbarum partes, et structurae ac nutritionis modum, detexisse ante omnes *Caeſalpinus* dicitur, qui, utpote peripateticus, corruptionem esse Plantarum matrem autumabat. Ipſa detexere Microſcopio inde *Malpighius* praecipue, et qui *Malpighium* imitati fuere Clarissimi *Redius*, *Vallisnerius*, *Leevenoëckius*, *Needhamus*, *Reaumeurius*, *Haleſius*, *Buffonius*, *Bonnetus*, *Spallanzanius*, *Fontana*, Aliique, bene multas utilissimas eiusmodi cognitiones per Microſcopium adepti. Ipsae Medicae physiologia, et praxis, potiora *Galileio* debent, eo quod, experimentali Physica a *Galileio* inſtituta, per Thermometrum etiam, *Sanctorius*, (*Galileio* X. annis propinquus) plurium annorum experimentis adinvenit, et sanxit, *Staticae Medicinae* canones, physiologicarum plurium detectionum genitores; *Alphonsus Borellius* vero praeclarissimum *De Motu Animalium* Opus, *Galilei* doctrinarum ope, efformavit. Ipſius demum *Galilei* admonitio, caussas effectuum detegendas esse per solam multiplicium diligentiumque experimentorum viam, dubitare docuit de plerisque iactatis Herbarum Medicis potestatibus, aliarumque innumerabilium Rerum pro Medicamentis habitarum, quibus reformandis incubuit ante omnes *Lactantius Magiottius* Monte Varchio, *Galilei* alumnus, et Magni Ducis *Ferdinandi II.* Archiater, inde *Redius Magiottii* alumnus et successor, poſt *Redium Thomas Puccinius* Pistoriensis alumnus *Redii*, inde *Antonius Cocchi* Florentinus *Puccinii* alumnus: quibus postea fato functis, Clinice ad pristinam paullatim redire credulitatem videtur apud aliquos etiam *Cocchii* alumnos, qui fere verbis tantummodo auream Medendi methodi simplicitatem, seu nobilem super celebratis depraedicatorum pharmacorum potestatibus Medicis incredulitatem, laudant.

(*u*)

(*u*) Pagina XVII. Praefationis ad *Cl. Petri Antonii Michelii &c.*

(*x*) *Dempſterus Etruria Regal.*

(*y*) Praefatione ad *Animadverſiones &c. in Libros De Hiſtoria et Cauſsis Plantar. Theophraſti.*

Digitized by Google

CAPVT III.

DE TERTIO PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO ALOYSIO LEONIO ET DE MVTATIONE LOCI VIRETI IPSIVS.

A*Loysius Leonius*, familiarum Magnanimi Ducis *COSMAE I.* Albis anni 1557 *Simpliciarius* nominatus, Horti Botanici Florentini ad divi *Marci* Praefectus dictus fuit a Cl *Targionio Tozzettio* (*a*), atque ex *Ghini* praecessoris Alumnis fortasse alter. *Leonius* ipse annis 1558, et 1559, iisdem Albis *Simplicista Generalis Studii Pisani* inscriptus usque anno 1563 inserviit, ideoque Pisani etiam Vireti Botanici Academici Praefectus dicendus est, quamquam minus diligens *Vigna* (*b*) inter Pisani eiusdem Vireti Praefectos *Leonium* nullatenus nominaverit, qui *Vigna* neque antecessores Praefectos *Ghinum*, et *Caesalpinum*, ibidem recensuit.

Bellunensem fuisse *Leonium* ipsum quipiam opinati fuerunt, verum *Vincentius Fedelius*, qui anno 1561 pro Venetorum Republica arcanorum depositarius Administer apud *COSMAM I.* residebat, sua ad Rempublicam ipsam Relatione, eo anno perscripta, et primum anno 1775 typis edita, *Leonium* scripsit natum ea Reipublicae Venetorum parte, quam *Cividal* simpliciter appellavit, docens ita, patrium *Leonii* locum fuisse *Forum Iulii*, quod celebres permultos produxit viros, sicuti illo ipso anno 1561 Patricium praelaudatum *Sanctorium* in lucem emisit, clarissimum inde Medicum, utilissimumque,

et

Digitized by Google

et quod vernacula quandoque dialecto Veneta nuncupatur quoque *Cividal del Friuli*, dum e contra, quotiescumque Bellunensis Civitatula indicari contenditur, exprimi vocabula *Civ:dal di Belluno* soleant.

E Scriptoribus de Naturae Historia nemo praeter Cl. *Targionium Aloysii Leonii* meminit. Abunde tamen ex ipsa *Fedelii* Relatione evincitur, *Leonium* ipsum Botanicum in primis fuisse sapientissimum, et a *COSMA I.* quo ad scientiae Botanicae praesertim peritiam maximi factum, ac valde laudatum. Generosus ideo ipse *COSMAS* ad Orientales Indos *Leonium* mittere statuerat, ut illarum Regionum Herbas in Etruriam perferret eo consilio, ut periculum fieri posset, an Indicae datarum specierum Herbae Medicis iisdem potestatibus, vel efficacioribus ac nostrates, pollerent. Ceterum non solis Herbis dignoscendis *Leonius*, sed etiam interioribus Montium diversissimis examinandis Rebus, aliisque Naturae arcanis indagandis excultus fuit, Viretisque Botanicis et Museo ditandis aptissimus, quibus omnibus *COSMAS* eximie alliciebatur.

Praedicto reparatae salutis anno 1563, Pisani illius Vireti Botanici Academici locus immutari oportuit, emersa amplificationis proximi Navalis necessitate. Strenuus *COSMAS* praevio anno 1562 inclytam militarem Equitum Divi *Stephani* Religionem fundaverat, ipsique Religioni onus imposuerat efformandae, ac servandae capaciorum Triremium perpetuarum Cohortis, qua a maritimis crebris latronum, seu piratarum, Barbarorum, ut aiunt, excursionibus defenderetur Etruria, pluresque Christifideles captivi liberarentur.

Navalis igitur amplificationi, pro capaciorum Trirennium constructione, spatium proximi Vireti Botanici Academici percommodum, imo et necessarium, censum

fuit

fuit (*c*). Ideo *COSMAS* de loci Vireti ipsius mûtatione, et de totius areae loco novo seligendo cogitans, hodiernam Coenobii Monialium, Sanctae *Marthae* nomine insignitarum, partem delegit, emitque. In hanc igitur Herbae Vireti primi Botanici Academici, et Plantae, ac Museum Rerum, ad Hiſtoriam Naturae pertinentium, translata fuere, eoque Coenobio Viretum Botanicum Academicum secundum, ac substitutum primo, triginta et duobus annis, nempe usque ad annum 1595, perduravit. Die 19 Januarii anni illius 1563, iuxta Pisanum morem computati 1564, a Monialibus ipsis *COSMAS* aliquorum emit Hortorum spatium, tunc finitimum Coenobio Earumdem sito parte Pisarum eadem septemtrionaria ad Solis Ortum tamen posita, atque proximum Sanctae *Vivianae* Ecclesiae iam antea sacris usibus privatae, quae Ecclesia, vertente adhuc anno 1776, intacta et integra, sua cum Turre, intra hodiernos eiusdem Coenobii Hortos includitur aeque, ac praedictum Vireti Botanici Academici secundi, spatium, de quo loquimur, etsi *Dominicus Vigna* (*d*) dirutam Ecclesiam eamdem usque anno 1625, quo scribebat, adserere nullus dubitaverit, eo quod Ecclesiam ipsam inquirere, a successivis domibus protectam, neglexerit. Ea Emtio ex Instrumento subscripto a *Nicolao Capellina*, publico illius aetatis Pisano Notario, liquet, quod Instrumentum Archivo Coenobii eiusdem adservatur. Altero autem Instrumento subscripto a *Nicolao Troncia* die 24 Maii anni 1602, iuxta Pisanum morem computati, quo Instrumento patet Redemtio, qua Moniales ipsae duos Hortos, atque illud secundi Vireti Botanici Academici spatium recuperarunt, leguntur verba: *Il Giardino, dove g.à erano i Semplici*. De utroque hoc Instrumento ab integerrimo *Iosepho Guidonio*, quem de

hac

Digitized by Google

hac re percunctati fueramus, certiores facti sumus, Archivi eiusdem peritissimo, et ipsarum Monialium Notario, nec non Forensibus agitandis Caussis perdocto.

Idem Viretum Botanicum Academicum secundum, quod instrui hodierna Coenobii Monialium praelaudatarum parte *COSMAS* illo anno 1563 voluit, atque substitui primo, quod Navali per annos fere viginti adhaeserat, redditum quoque fuit apprime ornatum, excultumque, ac rarissimorum plurium vegetabilium copia laudatissimum, quemadmodum paullo infra probabimus.

ANNOTAMENTA AD CAPVT TERTIVM

(*a*) Praefatione ad *Cl. Petri Antonii Michelii &c.*

(*b*) Praefatione ad *Animadversiones &c. ad Libros de Historia &c. Plantar. Theophrasti &c.*

(*c*) Illud primi Vireti Pisani Botanici Academici spatium amplificationi Navalis inserviit, atque ea amplificatio partim *COSMAE I.* iussu peracta fuit, partim successoris *FRANCISCI I.* regno continuata, celebri Architecto *Bernardo Bontalentio* dirigente, et insignibus novis arcubus efformatis, qui prioribus amplitudine responderent, et sub quorum tegminibus vasta magis, ac plura, suppeditarentur tum loca pro capaciorum Triremium constructione, ac receptione, tum promtuaria, quibus plurima lignorum vis contineri daretur aptorum constructioni eidem, et plurima servari instrumentorum, innumerarumque Rerum copia, atque plures, aptioresque, praeberentur Apothecae Fabris, tum qui ligna, tum qui ferrum exercerent, atque Habitationes, ut et Administris, atque Officialibus, quibus omnibus ut praeesset, *Provisor Navalis* ante omnes anno illo 1562 creatus *Galeottus Burgus* Civis Florentinus fuit. Magnus

Dux

Digitized by Google

Dux *FERDINANDVS I.*, qui die 21 Octobris anni 1587 imperium Etruscum adsumsit, supremam amplificationi Navalis manum imposuit, id docente Inscriptiuncula per excusum marmor, haerens medii arcus fastigio.

FERDIN. M. CAR. MAG.
DVX ETRVRIAE III.
M. D. LXXXVIII.

Quae Navalis amplificatio, a *Vasario* usque commendati, fuit sane utilissima. Multi enim posthac *Stephaniani* Equites Triremium quinque agmine Etrusca praeter evolare littora consueverunt, et contra praesertim Thracum pectora conflictare, ad Christianos captivos recuperandos, atque ad tuendam Tyrrhoeni maris securitatem, exoticarumque Navium frequentiam, quae Labronis allaberentur oris. Anno illo 1587 bis mille iam circiter captivos Hostes in Etruriam traxerant, atque nullae ob strenuitatem formidabiliores Hostibus Triremes, quam *Stephanianorum* Equitum, maris aequor arabant. Successivis annis Christiani plures redemti ab Equitibus ipsis fuere, Commercium defensum, et quamplurimae de rostratis inimicis Navibus opimae praedae per victorias multas conquisitae. Quinque Inscriptiones, talia probantes, atque ineditas, et marmore incisas, et Navalis faciei inhaerentes, atque a nobis exscriptas, hic per transennam adferre haud alienum ducimus, sperantes rem gratam Externis saltem Viris nos facturos.

I.

QVOD ROSTRVM INTVERIS
ALEXANDRINAE PRAETORIAE FVIT.
FERDINANDI I. AVSPICIIS
IACOBI INGHIRAMI DVCTV
ANNO MDCII. ETRVSCAE TRIREMES IN AEGAEO
ALEXANDRINAS ET NAVPLINAS AGGRESSAE
ILLA-

ILLARVM PRAETORIAM CVM VICARIA
SPOLIARVNT ET CAPTIVAS DVXERVNT
HARVM PRAETORIAM INCENDERVNT
ET PRAEDATORIO LEMBO DIREPTO
PRAETER CCCCXXII. TVRCAS CAPTOS
ET CHRISTIANOS CXLV. RECEPTOS
INGENTEM PRAEDAM GLORIAMQVE
REPORTARVNT.

II.

ETRVSCI IACOBO INGHIRAMO TRIREMIVM
PRAEFECTO XVI. KAL. MAIAS ANNO MDCXIII.
PARVA CLASSE INGENTI ANIMO AGRIMANI
PORTVM INGRESSI OPIDO ET ARCE POTITI
DVAS CYPRIAS TRIREMES PRAETORIAS AMBAS
QVARVM MONVMENTA VIDES
IN POTESTATEM REDACTAS
BARBAROS CAPTIVOS CCXLIII.
TOTIDEMQVE FERME CHRISTIANOS
SERVITIO EXEMPTOS AD COSMVM II.
CVIVS AVSPICIIS REM GESSERANT
OVANTES DVXERVNT.

III.

HAEC MARINA SPOLIA SVNT MONVMENTA
VIRTVTIS EQVITVM S. STEPHANI. ETRVSCAE
TRIREMES III. KAL. MAIAS ANNI MDCXVI.
COSMI II. AVSPICIO
DVCTV IACOBI INGHIRAMI
CLASSIS AMVRATHIS IMMANISSIMI
ARCHIPIRATAE RELIQVIAS AD EVBOEAM
INTERCIPIVNT. FRATRIS FILIO PRAETORIAM
AC VICARIAM ERIPIVNT. HOSTES

CHRISTIANAE REIPVBLICAE ET SVOS IVSTA
SERVITVTE MVLTANT
CCXVI CHRISTIANOS AB INIVSTA
SERVITVTE EREPTOS LIBERTATE DONANT
CCCCXVIII
GEMINVM INCLITAE VICTORIAE DECVS.

IV.

ETRVSCA CLASSIS AVSPICIIS COSMI II.
DVCTV OCTAVII BARBOLANI
VI KAL. QVINCT. AN. MDCXX.
AD INSVLAM LOPADVSAM
NAVES VTICENSES PERSECVTA
FRVSTRA FVGIENTES
PERNICITATE ARMISQVE VICIT
PRAETORIAM CVIVS PVPPIM CERNIS
EXPVGNAVIT.
BARBAROS CXV IN CATENAS
VNDE CHRISTIANOS CCCXXX EXEMERAT
CONIECIT
DOCENS QVOD SAEPE ALIAS VTICENSES
PRAEDONES PRAEDAM DEDISCERE
IVGVM PATI.

V.

FELICIBVS AVSPICIIS FERDINANDI II.
DVCTV IOH. PAVLI BVRBONII
TVSCAE TRIREMES
CRISTIANI NOMINIS TVTELAE GLORIAEQVE
VELIFICANTES EVBOICAM CLASSEM ADORTAE
PRAETORIAM IPSAM
MACHINIS ET MILITE PARATISSIMAM
CVIVS ROSTRVM SVSPICIS

CVM

Digitized by Google

CVM BARBARIS LXXX.
QVI SOLI PVGNAE SVPERFVERANT
EXPVGNATAM CAPTIVAM TRAXERVNT
CHRISTIANIS CCXII.
IN LIBERTATEM VINDICATIS.

Quibus super Inscriptionibus quinque simillimum veri est, ipsas fuisse a *Iulio Caesare Bulengero* Gallo Iuliodonensi exaratas, dum ab anno 1614 ad totum 1620 Humanas litteras in Pisana Academia profiteretur. Postquam anno 1588, ut diximus, Magnus Dux *FERDINANDVS I.* supremam recentioris Navalis amplificationi manum imposuerat, anno 1589 Tormenta bellica, quibus commodius Triremes armarentur, Pisis conflari malluit, et vetustam Arcem navalem, quae vocatur *la Cittadella*, et in qua parvas Pisana Respublica construebat Triremes, ad militares Equos alendos accomodavit. Hinc ſuper faciem domunculae ſitae inter Divi *Silveſtri* plateam et Boreale Arni littus, excavata fixo marmore legitur Inscriptiuncula:

FERD. M. DVX ETR.
AD BELLICA TORMENTA
CONFLANDA OFFICINAM
CONSTRVI IVSSIT
MDLXXXIX.

Intra vero Arcem navalem veterem marmor aliud inscriptum, muroque glutinatum, praebet verba, scilicet:

FERD. M. DVX ETR. III.
VETVSTATE CORRVENS NAVALE
PISANORVM AD MILITARES EQVOS
ALENDOS NON DISSIMILEM IN VSVM
REPARAVIT
MDLXXXIX.

Petrus Angelius Bargaeus, in Pisano Gymnasio perquam plures annos litterarum Humaniorum Interpres celeberrimus, qui anno 1596 obiit, auctor dicitur utriusque huius Inscriptiunculae, atque illius ad annum 1588 spectantis, quam paullo antea, initio paginae 62, adtulimus.

Fusiores vero Inscriptiones, mox expositae quia ad hodiernum referuntur Navale, de quo respective ad primum Viretum Botanicum Pisanum loquuti sumus, brevi hac digressione adductae sunt, etiam quia opportunae digressiones (sicuti Cl. *Lamius* in editis suis Dialogis ſcripsit) in omnium fere magnorum uſque Virorum operibus inveniuntur, et quia ornant, et quia varietatem allicientem interspergunt, et quia nullam confusionem gignunt, demum quia ab iis Lectoribus, qui devia quaeque dedignantur, praetermitti possunt.

(*d*) Praefatione ad *Animadversiones &c. in Libros de Historia &c. Plantar. Theophrasti &c. Pisis* 1625.

CAPVT IV.

CAPVT IV.

DE *CAESALPINO* SECVNDA VICE PRAEFECTO PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI

ET DE QVARTO EIVSDEM VIRETI PRAEFECTO *LAVRENTIO MAZZANGHI* BARGAEO

Pisani Vireti Botanici Academici, ideoque et Musei Res Naturae continentis, Praefecturam iterum *Caesalpinus* praecelebratus, ſicuti innuimus, videtur suscepisse anno 1563, et in ea perseverasse usque ad an. 1583.

Magnus Etruriae Dux *COSMAS I*, de quo laudes paullo supra depraedicavimus, usque ad annum 1574 quidem vixit, sed iam anno 1568, ut in mentem revocandum est, publici regiminis gubernacula filio suo *FRANCISCO* concessit, qui toti ideo Etruriae imperare occepit illo ipso anno 1568. Etruscarum Gentium Custos, Magnus Dux II, *FRANCISCVS* idem fuit usque ad annum 1587, mirifice vigilans, postremis paullum exceptis annis, quibus aliquarum Rerum ordo Pisarum quodammodo relaxatus videri poterat ab anno 1579. Primis plerisque imperii sui annis delectabatur eximie Hiſtoria Naturae Rerum, sed raris potissimum Plantis (*a*), quibus augeri et bene coli Vireta sua curabat, plures diſciplinas et linguas apprime callens, et Viros litteratos plures honoribus ac praemiis largiens, et cum Viris ipsis, praeſertim *Caesalpino*, non velut subiectis, sed veluti amicis, miſcere sermones solens de Plantis, de Gemmis, de Lapidibus, de Metallis, deque Rebus ceteris, quae e fodinis eruuntur, de Antidotis, de Animalibus, &c., quemadmodum in funebri edita laudatoria oratione de *FRANCISCO* eodem recitavit *Laurentius Giacomini Tebalducci Malespini* (*b*), tunc nuper vita perfuncto. „ Nullis „ impensis pepercit, ut ex omnibus fere Terrae partibus

Stir-

Digitized by Google

„Stirpes, vel florum elegantia, vel fructuum suavitate „vel medicis facultatibus praeſtantissimas obtineret. Im„mensis propterea, et undique conquisitis, Naturae mu„neribus elegantissima Viridaria sua mirifice illuſtravit (*c*)„ ideoque et Botanicum Hortum Academicum Pisarum, quibus hiberno tempore fere morabatur, vicinas Horto ipsi aedes inhabitans, quae nunc a *Pesciolinorum* Familia nobili possidentur.

Ad eorumdem Vireti, ac Musei, Praefecturam fuisse promotum illo anno 1583 stipendio centussium 120 *Laurentium Mazzanghi* Bargaeum, scripſit etiam Cl. *Hieronymus Sommai* Patricius Florentinus eruditissimus. Qui *Laurentius Mazzanghi*, fortasse *Caesalpini* alumnus, Stirpium et Fossilium inveniendorum caussa pluries peragravit, et Bargaeos Iaspides, modo percelebres detexit (*d*). Videtur idem *Mazzanghi* Vireti eiusdem Praefecturam deposuisse anno 1592, cuius anni mense septembri *Caesalpinus* Pisanam Cathedram cum suprema Romana commutasse diximus, Archiatrum summi Pontificis renunciatum.

Vlteriores de iis hac ſuper re annis notitiae desiderantur, eo quod praedictae cuidam relaxationi Pisanarum ordinisRerum quodammodo reſpondit Scribae Gymnasii tunc temporis oscitantia. Hinc analoge subit quod IV. Nonas Octobrias anni 1775 publice fatus eſt Cl. Popularis meus, et Dominicanae Familiae Magister doctissimus, *Thomas Augustinus Vairani* in Epistola sua inter plures alias suas eruditissimas, scilicet „ Quae mutila, quae manca ex anti„ quitate supersunt, restaurare ne, aut divinare Historicus „ potest?

Hic vero loci adnotandum praecipue, quatuor postremos annos, quibus *Laurentius Mazzanga* Pisani Vireti Botanici Academici curam gessit, primos fuisse Etrusci Regni Magni Ducis III. *FERDINAND. I*, qui plurimum quidem

et

et ipse Naturae Rerum Historiam, ex aliis bene multis ſtudiis excolebat, sicuti mox insequuturo capite potiſsimum magis elucescet. Nondum vero tunc fervidiores paternas curas potuisse videtur revertere ad Viretum idem eo magis illuſtrandum, et ad majora Botanophilorum in primis Tyronum Gymnasii Pisani commoda, illis ipsis annis quatuor 1588, 1589, 1590, et 1591, quibus ceterum nihilo minus Viretum ipsum ſecundum adhuc erat raris Plantis dite, ac longe lateque celebratum. *Augustinus del Riccio* in ſuo vaſto tractatu *de Agricultura*, quem anno 1585 exarare incoepit, ſuitque inde proſequutus uſque ad annum 1598, quo obiit, primo eiusdem tractatus tomo (*e*) perſcripserit de secundo ipso Pisano Vireto Botanico verba „è nomi- „ nato quel di Pisa per tutto il Mondo sì di bellezza, „ sì di abbondanza di Piante, &c „.

Ad tantam vero nominis famam pervenerat non modo *Caeſulpini* et *Mazzanghi* caussa, verum etiam quia Piſani Gymnasii, suique Vireti Botanici, Curator ab anno 1564 ad 1574 fuit *Antonius Meliorius*, praelaudato *Philippo* natus, ſapiensque; ab anno vero 1574 *Iohannes Tosi* Patricius Mediolanenſis doctissimus, atque Stephaniani Ordinis Eques, qui usque ad annum 1601 eo munere functus eſt.

Annis 32, quibus Viretum Botanicum Academicum ſecundum ad Divae *Marthae* Coenobium perduravit, nempe ab anno 1563 ad annum 1595, docuerunt e Pisani Gymnasii Cathedra Hiſtoriam Naturae, *Caesalpinus* uſque ad annum 1570; *Thomas Mesman* natione Germanus unico anno 1571; ab anno vero 1572 ad totum dictum annum 1595 (imo etiam 1596) *Baldellus Baldellius* Cortonensis, (*f*), licet *Camillus Christophori* Montemarcianensis ab anno 1582 (*g*) ad annum 1584 publice eam legerit, quam ſemper legit extra ordinem. Qui *Baldellius* ex Ordinaria Cathedra continuis annis 24 legit: idque maxima cum

laude,

laude, ut *Vigna* narrat, praestitit, maximaque Tyronum Gymnasii, et Pharmacopolarum voluptate.

ADNOTATIONES AD CAPVT IV.

(*a*) „ Si dilettava di Giardini, e de' Semplicisti, &c. „ Ognuno faceva a gara a portargli Piante rare di Fiori, e „ di Frutti, sapendo che gli facevano coſa grata, &c. „ Egli molte ne fece venire d' altre Provincie, &c. Le „ prime Piante d' Aranci della China &c. „ Ita *Augustinus del Riccio* in sui ms. Tractatus *Dell' Agricoltura* tomo 2, 359, citato a pagina xx. Praeſationis ad *Cl. Petri Antonii Michelii Catalog. Plantar. Horti Caes. Flor.*

(*b*) Prose Fiorentine. Volume primo.

(*c*) Pag. xx. Preſationis ad *Cl. Petri Ant. Michelii Cat.*

(*d*) Pag. xix. Praeſationis ipsius, et pag. 361 tomi quinti Operis, cui titulus *Relazioni di alcuni Viaggi fatti in diverſe Parti della Toscana &c. del Dottore Giovanni Targioni Tozzetti. Edizione seconda.* in 8.

(*e*) Tom. 1. 26. iuxta paginam XVII. Praeſationis ad *Cl. Petri Antonii Michelii Catalog. Plantar. &c.*

(*f*) In catalogo Professor. Lycei Piſani anni 1582 sunt verba „ Baldellus Baldelli leget quintum librum „ Dioſcoridis de Aquis Thermalibus, et Simplicia Medicinae „ diebus festis.

(*g*) Pro anno 1582 iussus fuit legere septimum librum Dioscoridis de Venenis.

CAPVT V.

CAPVT V.

DE QVINTO PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO *IOSEPHO BENINCASA*, ET DE SECVNDA MVTATIONE SEDIS VIRETI EIVSDEM, SEV TERTIA IPSIVS VIRETI SEDE, VEL AREA, QVAE HODIERNA EST.

Praecitato *Augustino*, e Patricia exorto Florentina Familia *del Riccio*, atque in Dominicanum coetum adscripto, permulta intercedebat necessitudo cum *Iosepho Benincasa*, ut ex ineditis eruitur praedicti Operis geoponici tomis *dell' Agricoltura* (*a*), quos *Riccius* vernaculo exaravit idiomate. In eo *Iosephus* Opere pluries nominatur constantissimis *Messer Giuseppe Benincasa* vocabulis. *Iosephum* eumdem fuisse Belgam adseruit scriptor ipse *Riccius*, subortaque est nobis coniectura, *Iosephum* ab Pisis fortasse oriundum fuisse. Id autem coniectamur, eo quod in quinto *Deliciarum Eruditorum* tomo, qui anno 1739 a Cl. *Lamio* editus fuit, memoratur Familia *Benincasa*, ubi nomina leguntur plerarumque nobilium Familiarum, quae Pisis vigebant sub XIII saeculi finem praecipue. Speciatim vero anno 1321 Pisis florebat *Iohannes Benincasa* Notarius, ſicuti ex albo inscripto liquet marmore, sito in exteriori Pisanorum moenium parte, intra hodiernam glaciei cuſtodiam, supra veterem Portam, quae ad urbem Lucam per iter brevius transmittebat, nunc autem muro obstructa est.

In catalogis Familiarum, quae Magnis Etruriae Ducibus *FRANCISCO*, et *FERDINANDO I*, inserviebant, *Iosephus* idem nominatur *Catabona* (*b*). Quia vero in catalogis ipsis neutiquam nominatur *Benincasa*, id evenisse

videtur, eo quod prima vice vocabulum *Casabona* ibidem scribi forte contigerit, ideoque cognominis *Casabona* continuatio subvenerit. Hinc ille Cl. *Hieronymus Sommai* Patricius Florentinus, qui Pisanum Lyceum ab anno 1614 ad fere totum annum 1635 curavit, in schedis *Iosephum* eumdem similiter *Casabonam* nominavit, ideoque etiam *Dominicus Vigna* ipsius *Hieronymi* amicus, atque inde plures alii scriptores Clarissimi *Guernerus Rolfinccius*, *Michaël Angelus Tillius*, *Targionius Tozzettius*, atque *Hallerus*, simili ratione *Casabonam* adpellarunt.

Iosephi Benincasae peritia Naturae Rerum, Botanicae vero Rei praesertim, simul ac duo honorifici tituli, quibus Doctores indicantur, et quos nomini *Iosephi* eiusdem praeposuere *Riccius*, et *Vigna*, qui potuit *Iosephum Benincaſam* cognovisse, demonſtrant, ipsum *Iosephum* anno 1771 fuisse minus recte in *Hortulanorum* ordine positum a Cl. *Hallero* in primo eruditissimi tomo Operis, *Bibliotheca Botanica* inscripti. Id praeterea comprobat depicta *Benincasae* imago, quae cum pictis *Caesalpini*, *Aldobrandii*, *Matthioli*, *Calceolarii*, *Vignae*, *Baldellii*, *Cornacchiniorum* duorum, *Clusii*, *Imperati*, *Mercurialis*, aliorumque Botanicophilorum Virorum imaginibus, quas Pisanum Lyceum possidet, servatur apud Doctiss. *Angelum Tillium*, hodiernum Pisani Vireti Botanici Academici Praefectum, publicumque Botanices Professorem.

Perillustris Physicus *Targioniut Tozzettius* ex inedito praecitato *Riccii* tractatu plura de *Iosepho Benincasa* (*c*) protulit, e quibus prae cetetis hic pauca adducenda sunt, videlicet „ Messer Giuseppe Benincasa si „pote dir con verità, che è ſtato il padre delle belle ed „utili Piante di Semplici, ch' egli ha fatti venire, e gli „ha condotti da tutte le parti del Mondo, dove ha potu„to arrivare con gran favore del Gr. Duca Francesco &c.

„Il

„Il Sig. Cavaliere Niccolò Gaddi favorì Messer Giuseppe „Benincasa appo il Gr. Duca Francesco, e li fece avere „il Giardino &c., e teneva appo se il detto virtuoso „Messer Giuseppe Benincasa, che aveva cura di tutte le „Piante nobili, e de' Semplici &c. „

Magnus Dux *FRANCISCVS* aliis etiam inde Regiis Florentiae Viretis *Iosephum Benincasam*, diligentissimum Plantarum perscrutatorem, praefecit.

Postquam vero *FRANCISCVS* obierat anno 1587, *FERDINANDVS I.* frater, atque successor beneficus, maxima et ipse flagrans cupiditate cognoscendarum eo magis Naturae Rerum (*d*), e quibus auſpicio suo novae Metallorum ac Marmorum fodinae detectae fuerunt, magisque flagrans cupiditate amplificandae Herbariae Rei multa exoticarum Stirpium accessione, ipsum *Benincasam* Botanici sui titulo inlustravit, atque stipendio suſtinuit. Quumque idem *Benincasa* per montes Bargaeos, Pisanos, Liburnenses, Patavinos, Bassanios, Vicetinos, atque Tridentinos itinera iam peregisset, ut Plantas, aliasque Naturae Res conquireret; *FERDINANDVS* ideo, huiusmodi peritiae *Iosephi* merito fisus, Regiis sumtibus, omnibusque commodis eum misit in Cretam insulam (in qua annum 1590, partemque anni 1591, degit), et ad alias miſit Telluris partes, ut ad feraciores Etruriae Provincias, potissimum vero ad Tyrrheni maris littora, utque ad Tyburtinum agrum, e quo Styracis arborem Pisas detulit. Revera e Creta, variisque aliis longinquis locis Plantas innumeras rariores, tunc parum notas, et virtute ac pulchritudine commendatissimas, sicuti et Flores, miro artificio primus omnium in Italiam transtulit, et ex Italia per Europam sparsit, postquam in Florentino Botanico Vireto severat haud minus, quam in Pisano. Credendum est etiam de Pisano, eo quod huic ipsi *FERDINANDVS*

maiorem in dies adsciscere studebat celebritatem, aeque ac maiora in dies Tyronibus Lycei Pisani commoda,

Quibus super *Benincaſae* itineribus, Historiae Naturae gratia peractis, adſeruit Cl. Scriptor, primum omnium *FERDINANDVM MEDICEM* iussisse id genus itinera, suoque huiusmodi exemplo excitasse Reges, summosque Viros, ut Botanica Europae Vireta Stirpibus novi Orbis ditarent. Verum *PHILIPPVS II.* usque prius, quam ab anno 1555 ad 1598 regnaret, *Franciscum Hernandez* medicum suum ingenti auri vi misit ad Mexicum, ut regni illius Res Naturae observaret, atque earum specimen in Hispaniam transferret, quemadmodum prae ceteris eruitur ex edita *Hernandez* ipsius, *Plantarum*, *Animalium*, *et Mineralium Mexicanorum Historia &c.*

Anno 1592 *FERDINANDVS MEDICES* de immutanda Pisani Vireti Botanici Academici sede ad divae *Vivianae* cogitans, et de ipso amplificando cum Rerum Naturae Museo, atque locupletando, Pisas vocavit *Iosephum Benincasam*, ut docte, eleganterque, tale novum Viretum crearet, atque digereret. In hanc *Ioſephum* rem delegit, quia anno circiter 1588 probata ipsius peritia usus fuerat, quum Florentinum Botanicum Viretum amplificari voluit, atque elegantius, ac ditius fieri. *Iosephus* ideo *Benincasa* novum Pisanum Viretum disponere incoepit anno 1593, ignoto nobis Architecto duce, multoque ordine ac diligentia in partes dispescuit illa divisionum methodo, quam repraesentat Tabula ichnographica, huic etiam libro adnexa, exhibens totius Vireti imaginem, minimas nempe ipsius areae diviſiones, quibus respectivas peculiarium Plantarum classes addixit, atque conlocavit: exhibensque magnum Topiarium instar Tentorii structum, Vmbracula, et Nemus, quibus conditores Viretorum adsolent figuram areae rectam reddere, vel a rectitudine

minus

Digitized by Google

minus alienam, quum figuram Vireti alicuius condendi rectangularem affectant; atque ostendens Ambulacra, Vaporaria, Hibernaculum, Hydrophylacium, et Laboratorium Chemicum, variis ornatum hydraulicis per occultos aquaeductus fontibus, quibus et Vmbracula exornantur.

Semina, quae *Iosephus Benincasa* in Viretis Florentino et Pisano, vel in peregrinationibus adeptus fuerat, concinno spermatophylacio adservabat, ut cum Amicis communicaret, atque cum exoticarum Stirpium seminibus permutaret.

Dum vero novas continuo, et rariores, quaeritabat Plantas, egregiae suae curae a postremo resectae fuerunt fato. Nimia etenim Stirpium inveniendarum voluptate per itinera Botanica, et horum caussa abusus corporis robore atque aetatis vigore, in deploratam ob assiduos labores incidit aegritudinem, obque eam periit anno 1595, quo Praefecturae eiusdem Pisani Vireti Botanici Academici munere fungebatur.

Mors eius magno fuit Studiosorum Herbariae damno, quum ipse ad tractatus conscribendos, sicuti videtur, adplicaturus esset. Etenim Pisas accersiverat *Danielem* quemdam Popularem suum, Pictoremque egregium, qui novi rariores Pisani Vireti Botanici Academici Plantas integras, a radice ad florem fructumque, in charta maxima nativis coloribus repraesentaret. Ceterum utilitati Studiosorum eorumdem quodammodo consuluit, eo quod Catalogum Plantarum omnium, quas in Florentino Botanico Vireto coluerat, confecerit, atque Catalogum, et partim Icones, Plantarum Pisani Vireti Botanici Academici descripserit: quae tamen inedita evanuere, vel latitant.

Plurium suae aetatis Botanicophilorum inlustrium magis, ut *Vlysses Aldobrandi*, et *Alpini*, admirationem sibi conciliavit, cumque aliquis ipsorum litterarium exercebat

cebat commercium, id demonſtrantibus aliquot eiusdem *Iosephi Benincasa* epistolis ineditis.

Magnus Dux *FERDINANDVS*, deserturus antiquas *MEDICEORVM* aedes ad Divi *Matthaei* sitas in urbe Pisana, noviter alias emerat ab *Gaetanis* Patriciis Pisanis adhaerentes Ecclesiae *Sancti Leonardi in Pratucello* nunc deſtructae, vicinasque alteri Ecclesiae, *Sancti Nicolai* nominatae, et adhuc florenti. In hisce proprium inſtituerat hospitium, quum Pisani Vireti Botanici Academici sedem ad *Divae Vivianae* immutare statuit cum nova sede tertia, ampliori, et propiori Academiae Regiisque suis aedibus, evehendaque ad maiorem splendorem, atque elegantiam. Emit itaque circa annum 1592 aream, positam prope viam, quae *Sanctae Mariae* nomine vocatur, ibique absolutum publice aperuit novum Viretum Botanicum Academicum (quod ad nostram usque aetatem coli adsuevit) illo anno 1595, quo Pisani Lycei Curator florebat *Capponus Capponius* Patricius Florentinus, I. C. olim publicus Profeſſor doctissimus, Abbas S. *Zenonis*, Commendatarius S. *Stephani* Eques, et Prior Ecclesiae Conventualis eiusdem. Ea area fundus erat dotalis (*e*), nobilis Pisanae Feminae *Liviae de Casapieris*, *Alexandro* comite *de Venerosis* marito suo viduatae. Illi areae addidit alteram *FERDINANDVS*, nempe spatium, ubi fuerat vetus Ecclesia, quae ab Pellionum Vniversitate usque anno 1193 fundata fuerat (*f*), et nomine *Sancti Laurentii in Pellieceria* vocabatur (*g*), et quae ruerat partim. Adhuc clarissima patent signa dirutae ipsius Ecclesiae, cuius Porta maior ad occidentem solem respiciens, lateralis vero seu minor Porta ad meridiem, obstructae sunt lateribus calce compactis, sicuti in externa facie duorum publicorum murorum Vireti eiusdem Botanici, constituentium angulum rectum, videre eſt. Totius areae Vireti largitudo ulnis Florentinis centum

con-

Digitized by Google

constat, longitudo vero ulnis 230, finita a septemtrionario muro pùblico, in cuius constructione infixum fuit parvum rectangulare marmor album sepulcrale, eductum forsitan, ut simile vero fit, e diruta praedicta *Sancti Laurentii* Ecclesia. Ipsius marmoris Inscriptiuncula, antequam idibus ſebruariis anni 1775 a fabro murario inscienter obduceretur calce, praebebat verba

✠ S. BONACURSI
Q. BALDUUINI DE PE
RO

Optimus et beneficus *FERDINANDVS* pro habitatione Praeſecti novi Vireti Botanici Academici domum pariter coëmit, Vireto ipsi vicinam, eamque instauravit. In ipsius domus fenestrarum medio Inscriptio marmorea poſthac fixa fuit, anno inde tandem 1723 a Cl. *Michaële Angelo Tillio* primum edita (*b*), quae legitur, nempe

FERDINANDVS MEDICES MAGNVS
DVX HETRVRIAE III.
VT ADOLESCENTES STVDIOSI PARATVM
HABEANT LOCVM, IN QVO FRVTICVM
HERBARVMQVE FACVLTATES, ET NATVRAS
PERNOSCANT, HORTOS INSTRVENDOS CVRAVIT,
DOMVMQVE SVA PECVNIA EMPTAM ET SCITE
INSTAVRATAM ADIVNXIT, PER QVAM EOS
INGREDI CVPIENTIBVS ADITVM PATERE
VOLVIT ANNO SALVTIS CIↃ. IↃ. VC.

Illis ipsis annis 1593 et 1594, atque ad eamdem viam *Sanctae Mariae*, *FERDINANDVS* novum Pisis Collegium diſposuit, erexit, et creavit, indeque eodem anno 1595 adaperuit, vocatum *Collegium Communitatum*, poſtea vocatum proprio(*i*) suo nomine *Collegium Ferdinandum*, in quo Iuvenes 44 circiter plurium Hetruriae Vrbium Piſtorii, Arretii, Prati, Sancti Miniatis, Cortonae, Oppidorumque *Caſtiglione Florentino*, *Foiano*, &c, alerentur ad

studia

ſtudia quotannis in Lyceo commodius excolenda. Super huius Collegii Portam marmorea Inscriptio patet

FERDINANDVS MEDICES
MAGNVS DVX ETRVRIAE III.
HAS AEDES
QVAS OLIM BARTOLVS
IVRIS INTERPRES CELEBERR. INCOLVIT
NVNC RENOVATAS ET INSTRVCTAS
ADOLESCENTIBVS QVI AD
PHILOSOPHORVM ET IVRISCONSVLTORVM
SCHOLAS MISSI
PVBLICO VRBIVM ATQVE OPPIDORVM SVORVM
SVMPTV SEPARATIM ALEBANTVR
PVBLICAE VTILITATI CONSVLENS ADDIXIT
LEGESQVE QVIBVS IN VICTV VESTITV
VITAQ. SIMVL DEGENDA VTERENTVR
TVLIT ANNO SALVTIS MDLXXXXV.

Sicuti vero *FERDINANDVS* non modo Pisanae Vrbis commodis, splendori, atque elegantiae consuluerat Navale amplificando, Tormentorum bellicorum flaturam Pisis stabiliendo, Viretum Botanicum Academicum instaurando, Collegium fundando, Palatia Pisana restituendo, Lyceum reficiendo doctioribus scientiarum et nobilium artium Magistris per insolita stipendia allectis, et numerosiorem invitando ad Pisas Populum, verum etiam proviserat Pisanae Civitatis saluti paludes exiccando, et Arni cursum partim divertendo; ideo Pisana Civitas, suam patefacere gestiens pro tot beneficiis gratitudinem duraturam diutissime, colosseum Simulacrum marmoreum laudatissimum, in Viae ipsius *Sanctae Mariae* initio, crexit, repraesentans *FERDINANDVM* eumdem, sublevantem Civitatem ipsam, indicatam forma Mulieris supplicis, quae Infantes duos proprio nutrit lacte; collocavitque supra maximum stylobatem in Arni littore, prope Regium Palatium. Quod Simulacrum perdocte sculpsit Belga *Petrus*

a Francavilla (*l*), celeberrimi *Michaëlis Angeli Bonarotii* alumno. Ipſius Simulacri stylobates maximus praebet Inscriptionem

FERDINANDO. MED.
MAGNO. DVCI. ETRVRIAE. III.
PISANA. CIVITAS.
AMPLISSIMIS. AVCTA. COMMODIS.
PRINCIPI. BENEMERENTI. POSVIT.
A. D. M. D. VC.

Tres hasce Inſcriptiones condidit praelaudatus celeberrimus *Petrus Angelius*, tunc temporis in Pisano Lyceo litterarum Humaniorum Professor publicus.

A colosseo huiusmodi Simulacro *FERDINANDVS* eo magis incensus fuit, ut ulterioribus dein beneficiis Pisanos prosequeretur. Templa Pisana inde, et palatia alia restauravit. Saluberrimae, et quampurissimae, aquae Fontis montani ductum, Romanae potentiae maiestati haud imparem, inchoavit anno 1601, in eoque condendo perſeveravit uſque ad suae mortis annum 1608 (*m*). Vastissimam construi voluit Contignationem, quae Tegumento esset Naviculis recipiendis, merces transferentibus per canalem, Pisis Liburnum tendentem, qui perpetuam aquam continet, ex Arno proximo derivatam (*n*). Tandem fornicato magnificentiſſimo marmoreo Foro Mercatorum Pisas auxit (*o*).

Per ea tempora Possidentes aliqua Pisarum AEdificia instaurabant ipsa certatim, ut Magni Ducis *FERDINANDI* studio decorandae eo magis Vrbis velificarent. Testantur id plures marmoreae ipsius *FERDINANDI* effigies, quae regium Caput cum Thorace praeseferunt, et super multorum AEdificiorum Portas tunc renovatorum spectantur adhuc. Idque speciatim testatur ad divi *Matthaei* domos, etsi potius humiles, illis annis refectas, Inscriptio, quae legitur prope ostium Pontis, ad novum

traducentis Vallum, aedificatum atque perfectum a Florentinis anno 1475, nimirum

SER. FERD. MAGNI ETR. DVCIS
CLEMENTISSIMI PRINCIPIS AMPLIFICANDAE
CIVITATIS STVDIO
AC FEBRONIAE VPESSINGHIAE ABBATISSAE
SOLERTIA
A. D. M. D. XCVI.

ADNOTATIONES AD CAPVT V.

(*a*) Praefatione ad *Cl. Petri Antonii Michelii Catalog. Plantar Horti Caesar. Flor. &c.*

(*b*) Ibidem.

(*c*) Ibidem.

(*d*) Veteres non modo, sed etiam recentiores plures Etrusci subiecti, et singuli Magni Duces *MEDICEI* fere, excelluere studio erga scientiam Rerum Naturae, ſicuti Cl. *Philippus Bonarota* in suis Explicationibus et Coniecturis *ad Monumenta Etrusca Operi Dempsteriano addita* § xxxix recte scripsit. Quas Explicationes, et Coniecturas, haud vulgari laudatione extulere sapientes Viri *Iohannes Lamius* in primo *Memorabilium Italorum Eruditione praeſtantium &c.* tomo, et Patricius Florentinus *Iosephus Pellius* in suo de *Philippo Bonarota* Elogio, consuetis suis doctrina, eruditione critica, atque elegantia, contexto.

(*e*) *Fabbruccius ex Monum. original. domeſticis Familiae Nobilium de Casapieris*, citatis in xiv. Opusculo *Fabbrucciano*, typis edito in octavo tomulo, cui titulus *Seconda Raccolta d' Opuscoli &c. In Venezia.* 1761. §. xix.

(*f*) Pagina 160 *Annali Piſani di Monſignore Paolo Tronci &c.*

(*g*) Id. ibidem, et Pagina 92, et 100, Operis eruditissimi, cui titulus *Ecclesiae Piſanae Hiſtoriae Auctore P. M.*

Digitized by Google

P. M. Antonio Felice Matthaeio Franciscano Conventuali In Academia Pisana Sacrae Theologiae publico Profeſsore. Tomus Primus. Lucae. 1768.

(*b*) Pagina sexta Operis, cui titulus *Catalogus Plantarum Horti Pisani &c.*

(*c*) Novum id Collegium aperuit imitatus exemplum *COSMAE I.* patris sui, qui anno 1550 *Collegium Sapientiae* Pisis instituit, quo Etrusci quadraginta Iuvenes ingenui habitarent supra Lycei aedificium, et super cuius *Collegii Sapientiae* Portam nobiliorem, quae ad Meridiem posita est, marmorea legitur Inscriptio

COSMO. MED.
FLOREN. DVCI. II.
GYMNASIO. HOC
MAGNIFICE
INSTAVRATO
AC COLLEGIO
INGENVORVM
SVAE DITIONIS
ADOLESCENTIVM
LIBERALITER
INSTITVTO
A. M. D. L.

Anno etiam 1568 Cardinalis *Io. Riccius*, natus in urbe, quae *Monte Pulciano* nominatur, et Archiepiscopus Pisarum, parvum Pisis fundavit pro octo Adoleſcentibus, suis popularibus, Collegium, sicuti fixa super ipsius Collegii Portam Inſcriptio docet, nempe

COLLEGIVM RICCIVM POLITIANVM
IOANNIS RICCII CARD. POLITIANI
PATRIAEQVE PATRIS PIETATE AC
IN CIVES SVOS LIBERALITATE
INSTITVTVM
AN. D. M. D. LXVIII.

Ad cuius parvi Collegii *Riccii* exemplum inde

anno 1605 Pedemontanus *Carolus Antonius Puteus*, Pisarum Pontifex (in parva ortus Italiae urbe, quae Italice *Biella* nominatur, latine vero *Bugella*, ſive *Gaumellum*) aliud simile Collegium fundavit pro studioſis Iuvenibus sex, conterraneis suis, posita super eiusdem Portam Inscriptiuncula

COLLEGIVM PVTEANVM
PIETATE ET LIBERALITATE
CAROLI ANTONII PVTEI
ARCHIEPISCOPI PISANI
FVNDATVM ET DOTATVM
ANNO M. DC. V.

(*l*) Sculptum fuiſſe a *Petro a Francavilla* docent, excuſa sub dextero Simulacri pede verba: „ Ex archetypo „Ioan. Bononiae Belgae Petrus a Francavilla Cameracensis „fecit Pisis &c „. Ipsius *a Francavilla* opus, sed minus felix, est alterum marmoreum Simulacrum colosseum, situm anno 1596 in Pisana Platea inclitae Religionis militaris Equitum *D. Stephani*, quod *COSMAM I.* repraesentat, excusa super duas magni stylobatis facies Inscriptione, videlicet

ORD. EQ. S. STEPH.
COSMO MEDICI
M. DVCI ETR.
CONDITORI ET PARENTI SVO GLORIOSISS.
PERP. MEM. C. STATVAM
E MARMORE COLLOCAVIT

FERDINANDO MED.
MAG. DVCE ETR.
ET ORD. MAG. MAGIST. III.
FELICITER DOMINANTE
ANNO DOMINI
M. IↃ. XCVI.

(*m*)

Digitized by Google

(*m*) In variis huius Aquaeductus locis marmorea repetita eſt Inſcriptio

AQVAE DVCTVM A FERDINANDO
MAGNO DVCE ETRVRIAE III.
SALVBRITATI VRBIS
INCHOATVM
COSMVS II. FIL. MAGNVS DVX IIII.
PERFECIT ANNO MDCXIII.

(*n*) Tegminis dicti initium donatur Inſcriptione

FERDINANDVS. MAGNVS.
DVX. TERTIVS.
PVBLICAE. VTILITATI.
MERCIVM. SECVRITATI.
EXTRVENDVM. CVRAVIT.
ANNO. SALVTIS.
M. DCIII.

(*o*) In ipſius Fori Mercatorum facie, ad orientem ſolem verſa, marmorea Inſcriptio ſe habet

FERDINANDVS M. DVX
MERCATORVM COMMODO
CIVITATIS ORNAMENTO
PVBLICAEQVE VTILITATI CONSVLENS
ANTIQVIS AEDIFICIIS DIRVTIS
ET AREA DATA
FORVM
A FVNDAMENTIS EXCITAVIT
ANNO MDCV.

CAPVT VI.

Digitized by Google

CAPVT VI.

DE SEXTO PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO *POLYDORO MATTHAEINO*

Cl. *Targionius Tozzettius* anno 1754 adseruit (*a*), *Franciscum Casabonam* electum fuisse Custodem Pisani Vireti Botanici Academici post *Iosephi* patris sui mortem, ipsique *Francisco Casabonae* successisse *Polydorum Matthaeini*.

Re vera annis sex ante dictum annum 1754, nempe anno 1748, *Targionius* idem publica expoſuerat verba (*b*) „Certe *Riccius* pag. 704. Agriculturae ſuae diserte asserit, „Filium quemdam *Ioſephi Caſabonae* Horto Pisano prae„fuisse iam ab anno 1596, quo *Ioſephus* e vivis excessit. „Vid. Adnotata ſuperius n. 50.„

Verum sub hunc numerum 50, ubi leguntur *Riccii* verba, depraehenditur, *Riccium* adſeruisse quidem, Filium *Ioſephi Benincasa* tunc *stare* ad pulcherrimum Pisanum Viretum Botanicum ab anno 1596, quo *Ioſephus* obierat, non autem adſirmaſſe, Filium ipsum *Benincasam* Pisano Vireto Botanico *praefuisse*. Mox innuta *Riccii* verba sunt „Chi vuol vedere, ſi faccia preſtare al Giardiniere „ delle ſtalle le liste, o libretto di Meſſere Giuseppe „ Benincaſa, o dal Figliuolo suo, che *stà* al bellissimo „ Semplicista di Pisa „

Praeterea *Targionius* idem conclusit (*c*) non liquere, num *Franciscus Casabona* „Pisani, num vero Florentini, „Horti curam habuerit, praeſertim quum inter Pisanos „Botanicos a *Dominico Vigna* coaevo nullatenus recensea„tur. Veroſimile tamen eſt, *Franciscum* superius memora„tum Florentino ſolummodo Horto addictum fuiſſe, quum „ſtipendium non ex aerario peculiari Academiae Piſanae,

„ sed

„ed ex Regio Florentino perciperet„.

Polydorus igitur *Matthaeini Iosepho Benincasae* successit, Viretoque Botanico praefuit unico fere anno, id docente etiam *Dominico Vigna*, qui, triginta solis annis post ipsius *Iosephi Benincasae* obitum, typis mandavit verba (*d*). „ Polydorus Matthaeinus de sancto Mamme, „de quo nihil habeo quod dicam „.

Nomen *Sancti Mamme* videtur ipsum, ob quod aliquot Etruriae loca nominantur *San Mommè*, sicuti in Florentina Arni Valle (*e*), et in Piſtoriensi agro prope fluminis *Ombronis* initia (*f*). Idque nomen *Sancti Mommè*, patrii Loci *Polydori Matthaeini*, derivatum videtur a nomine Sancti *Mamantis* Martyris Caesareae in Cappadocia, de quo pereruditа Latina typis edita fuit anno 1762 Dissertatio Cl. Senatoris Veneti *Flaminii Cornelii* (*g*).

Inopia vero notitiarum de *Polydoro Matthaeino* ducit ad repetendum animo, quorumdam Hominum acta minoris quandoque aeſtimanda esse, ideoque minimam iacturam fieri ex ipſarum sciendarum impotentia, quemadmodum rectissime adnotavit praelaudatus Patricius Florentinus, sagacitate, doctrina, eruditione, et eloquentia insignis, *Iosephus Pellius* (*h*) in Elogii fine de Nobili Florentino *Aloysio Pulci*.

ADNOTATIONES AD CAPVT VI.

(*a*) Pagina 110 sui editi Libri *Prodromo &c.*

(*b*) Pagina XXXIV. suae Praefationis ad *Cl. Petri Antonii Michelii Catalog. Plantar. &c.*

(*c*) Eadem Pagina XXXIV.

(*d*) Pagina octava suae Praefationis ad *Animadversiones &c. in Libros &c. Theophraſti*.

(*e*) Pagina 53 tomi quinti, et pagina 308 tomi octavi

Digitized by Google

octavi, cui titulus *Relazoni di alcuni Viaggi fatti per la Toſcana &c.*

(*f*) Carta topographica in Libro, vel Opere Clarissimi Collegae noſtri *Antonii Matani*, cui Operi est titulus *Delle Produzioni Naturali del Territorio Pistoiese Relazione Istorica, e Filosofica &c. In Piſtoia l' anno* 1762.

(*g*) *De Martyrio et Reliquiis S. Mamantis &c. Seconda Raccolta d' Opuſcoli Scientifici e Filologici &c. Tomo nono &c. In Venezia.* 1762.

(*h*) *Elogj d' Vomini illustri Toscani &c. Tomo* 2. *&c. Elogio decimoterzo*

CAPVT VII.

Digitized by Google

CAPVT VII.

DE SEPTIMO PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO *FRANCISCO MALOCCHIO*

BEneficus *FERDINANDVS I. MEDICES* Franciscanorum Familiam, quae dicitur *dei Minori Osservanti*, egregie caram semper habuit (*a*), eoque magis a primo imperii sui anno, in quo purpureum S. R. E. Cardinalium pileum copulavit Regio diademati, sicuti videre eſt in stemmate et monetis *FERDINANDI* ipsius illo anno cusis. Ex eorum Florentino Coenobio, quod largiter alebat (*b*), ad omnium Sanctorum AEdem Nonnullos excitavit, ut Herbariam excolerent, interque Eos favore Magni Ducis praestitit *Salvator Scalandronius* Florentinus, qui sui temporis Botanicophilos Viros supereminebat, amoenissimumque ibi Viretum Botanicum, et scitum, et uberrimum, raris Plantis consevit, atque Florentinorum suae Sodalitatis Sacerdotum *Franciſci Malocchii*, et *Matthaei Pandolfinii* magister fuit (*c*).

Optimus idem Princeps, instaurato dudum Regiis sumtibus Pisano Vireto Botanico Academico per *Iosephum Benincasam*, quemadmodum fati sumus, praefecit Vireto ipsi anno 1596 *Franciſcum Malocchium*, qui antecessores Praefectos imitaretur, acquisitas educando Plantas, atque rarioribus aliis undequaque petitis Viretum locupletando, tum et rarioribus Naturae Rebus Museum Vireto adnexum. Iccirco domum, pro Vireti Praefectis aedificatam tunc recens, Viretoque finitimam *Malocchius* incoluit usque ad Ianuarium mensem anni 1614, iuxta Pisanum morem computati, Curatoribus successive Pisani Lycei, Patricio Florentino praecitato *Cappono Capponio*, qui Romae Magni Ducis *FERDINANDI* ipsius, tunc Romani

Purpurati, Iurisconsultus Auditor fuerat, inde Iurisprudentiae in Pisano Lyceo Profeſſor effulgens, et qui anno 1603 obiit; dein Curatore similiter *Ludovico Covo* Brixiano, cui demortuo anno 1607 successit *Arturus* e Comitibus *d' Elci* Nobilis Senensis, inde vita functus illo ipso anno 1614.

Doctissimus *Laurentius Serafini* Liburnensis, qui eiusdem Franciscanorum Familiae paucis abhinc annis Praepositus in Etrusca Provincia fuit, cum nobis humanissime communicavit, pereruditum *Antonium Tognocchium* (*d*), ex ipsa Franciscanorum Familia alterum, atque Historiographum Familiae eiusdem, scripsisse, *Franciscum Malocchium* Florentinum Sacerdotem, Lapidum Herbarumque virtutum et qualitatum peritissimum indagatorem, tanti a Magno Duce *COSMA II.* &c. factum fuisse, ut Herbarium in capite omnium Viridariorum suorum eumdem voluerit. *Dominicus Vigna*, eiusdem *Malocchii* alumnus addictissimus, aliqua de *Malocchio* docuit (*e*), e quibus pauca hic referenda propter libri raritatem censemus, nempe „ *Franciscus Malocchius* Florentinus,
„ Minorita Fratrum Divi *Francisci, de' Zoccoli* dictorum,
„ missus fuit ad custodiam Viridarii Simplicium a
„ Serenissimo *FERDINANDO I. M.* Duce Etruriae
„ tertio, et cum dictus *Franciscus* ad melius etiam di-
„ sponeret Plantas, tandem animum suum applicuit
„ Rebus naturalibus, unde pulcherrimo miroque ordine
„ Museum, hodie *la Galleria* vocatum, disposuit adeo,
„ ut iure merito (a *Ioanne Pona* Veronensi in sua De-
„ scriptione Montis Baldi &c.) Simplicista et Antiquarius
„ Serenissimi Magni Ducis Etruriae vocatus fuerit. De
„ cuius (*Malocchii*) laudibus multa, sed numquam satis,
„ dicere possem, nisi putarem benignos Lectores taedio
„ afficere, et sic Praeceptoris mei amantissimi potius
„ lau-

„ laudes laudando imminuere, quam illas recensendo „ augere &c. Post maximos labores in perquirendo „ Plantas fere per totam Italiam, postque multa Itinera „ facta, maximis privilegiis, summo amore a Sereniss. „ *FERDINANDO I.* ei concessis, tandem diem suum „ obiit die 19 Ianuarii 1614, et extra Pisas in Ecclesia „ vocata *Santa Croce*, condignis funeribus inter suos „ Reverendos Fratres Minoritas sepultus fuit „.

Multa non solum sollicitudine *Malocchius* Pisanum Viretum Botanicum Academicum curavit, locupletavitque (*f*), ac Plantas eo melius diſtribuit, verum etiam Plantarum Catalogum, a se inventarum, aliarumque, quas externas comparaverat, pertexuit. Neque minus diligenter praedictum Museum adauxit, in quo Res haud obviae ad Naturae Historiam pertinentes, methodice conlocari adsueverant, veluti Metallorum matrices considerabiliores, Marmora, Lapides, Conchae, &c., quorum omnium pars vel in profundo Oceani gurgite alte demersa vel Fluminum aquis, pars in Telluris gremio latitare solent, pars in superficie patefieri Telluris eiusdem: sub cuius *Telluris* generali nomine solet Aër subintelligi, quum ipsam Tellurem iugiter circumdet penetretque (*g*), imo hac de caussa simul consideratus nominari soleat *Telluris Atmosphaera*, sicuti generico *Aëris* nomine subintelligi assueverunt corpora omnia minima contenta in ipso Aëre, mirificaeque Aëris qualitates ac proprietates plures.

Herbariae studium, *Malocchii* etiam temporibus, in Pisano Vireto Botanico Academico ab insigni Tironum frequentia excolebatur adeo, ut *Hadrianus Spigelius* Bruxellenſis, circa annum 1608 scribens, in sua (evaſurus anno 1616 in Patavino Lyceo Chirurgiae et Anatomes Profeſſor publicus,) *Isagoge in Rem Herbariam* (*h*) typis ediderit verba „Vos quidem magnum numerum optimorum doctissi-

„ morumque Iuvenum publicos celeberrimae huius Aca„ demiae Hortos, quum vere patent, quotannis frequen„ tare vidiſtis; ego vero non minorem ad Piſanos Hortos, „ ac Bononienses, in quibus, Herbarum cognoscendarum „ gratia, ſuperioribus annis ſum verſatus, accedere anim„ adverti „.

Per epiſtolare commercium *Malocchius* communicare cum inluſtribus aliis Viris philobotanicis ſolebat, e quibus maiori necessitudine coniuncti cum ipso erant Lucenses clari duo Medicamentorum conditores, fratres *Michaël*, et *Balthassar*, de *Campis* (*i*); *Iohannes Pona* praecitatus, aliique.

Annis illis octo ſupra decem, quibus *Malocchius* Piſano Vireto Botonico praefuit, Botanicen e cathedra publica, Museique praeſertim Res Hiſtoriae Naturae docuere post laudatum *Baldellum Baldellium* Cortonensem *Iosephus Rovezzanius* Pisanus (*l*) ab anno 1596 ad initium mensis Maii anni 1601, quo mense vitam exegit aetate annorum 36: post *Rovezzanium Marcus Cornacchini* Arretinus ab anno 1602 ad totum annum 1606: post *Marcum* hunc *Horatius Cornacchini* frater (*m*) duobus annis 1607 et 1608: tandem *Dominicus Vigna* nobilis Florentinus (*n*) ab anno 1609 ad annum 1647.

Providissimus *COSMAS I*, Magnus Etruriae Dux, in deliciosissimo Florentino Vireto Regio, nominato *di Boboli*, Elaboratorium fieri voluit, quo Chemia pharmaceutica agitaretur, multaque parata pharmaca in promtu eſſent, potiſſimum e Plantis Floribus et Fructibus deducta, nempe Olea, Spiritus, Aquae destillatae, &c, deliciis etiam inſervientia corpora, reddita sensibilia per ignem. Ita providus aeque *FERDINANDVS I*, qui Florentiae illo iam utebatur Elaboratorio, alterum analogum conſtrui Piſis intra Vireti Botanici Academici muros iussit.

Piſa-

Pisanum vero ipsum Elaboratorium Chemicum, *Malocchio* dirigente, institutum fuit, eiusdemque *Malocchii* curis perpetuis inde traditum. *Malocchius* etenim non modo odoramenta illa, quae a Romanorum etiam veterum temporibus (*o*) in usus medicos deliciasque venerant, sed et eiusmodi pharmaca per ignem parare noverat etiam ex aliis Naturae Rebus, callebatque alia (iuxta illius quoque morem saeculi) dogmata Magiſtrorum Chemicorum, qui vocabantur *Adepti*, et quibus plura inventa utilissima progressibus Physices debentur. Illis porro temporibus *Malocchii* iamdiu usuvenerat, plures Sacrorum Ordinum Viros, etiam Sacerdotes, incumbere in Chemica studia tum theoretica, tum experimentalia, aliis id genus Viris utentibus igne, aliis calamo, aliis vero et igne et calamo, ductis potissimum charitate erga Humanum genus, eo quod Chemiam aestimabant praesentissimam, quae aegros Homines a morbis omnibus liberaret, ideoque ad salutem reveheret. *Malocchii* aetate vocabulum *Chemia* iamdiu ſignificabat quoque artem hauriendi, efformandique pharmaca per ignem, quum primis temporibus significare adsuevisset suppositam artem, cuius ope ignobilia metalla fierent aurum purum, apud Scriptores, qui ante Arabum Medicorum tempora floruere, neutiquam visi cogitasse de universa ad Humani Corporis morbos medicina (*p*). Quidam ideo Religiosi Viri Sacerdotes de *Chemia*, seu *Alchemia* (*q*), tractatus perscripsere, postquam in primis Arabes metaphorico sermone medicamenta adpellaverant auxilia ad suppositam auri argentique efformationem, impura vero metalla nominaverant Homines aegros; denique aurum compellaverant corpus Humanum sanum, vivax, et constans (*r*). Praeparationes Chemicae in medicos usus invectae fuere non solum ante Graeci *Actua-*

rii,

rii, Arabumque *Avicennae*, et *Rhasis* tempora, nimirum ante XII, XI, X saecula, sicuti amplissimi Historiae Medicinae Scriptores *Clericus* et *Freindius* coniecerunt, verum invectae fuere usque saeculo VIII, (*s*), inde vero praesertim circa annum 1200 non amplius petitis potestatibus medicis a solis Plantis, sed ab elicitis per ignem novis, quas innuimus, materiebus ex ipsis Plantis, atque ex aliis Naturae Rebus, ut Animalibus etiam, Metallis, Metallicis concretis, Lapidibus, Terris, Bituminibus, Sulphure, &c. (*t*).

Medicamenta secreta identidem docebat *Malocchius*, et inter ipsius libros inventus fuit autographus codex, secreta plura medicamenta describens (servatus inde a successivis Botanici Vireti Praefectis) iuxta fiduciae medicae copiam, antiquissimam (*u*) ipsam quidem, sed illorum etiam *Malocchii* temporum, quibus Chemia nondum evaserat spectabilis adeo, et repurgata Physicae Experimetalis pars, qualis enitet aevo nostro, medicis quidem aliquando usibus opportuna, verum aliis ut plurimum vitae commodis, ut artibus mechanicis, &c. Quod ad Physicam Experimentalem spectat, Chemia maxime inservit analysi Rerum Naturae, atque synthesi earumdem, methodo utraque huiusmodi substituta microscopicis inquisitionibus a Viris Chemicis doctissimis, quibus abhinc saeculo praesertim gloriatur Europa, sicuti videre est in Philosophicis Academiarum Europae Actis, celebrrrimorumque primi ordinis Scriptorum neotericorum de Re Chemica Operibus. Quae ceterum analysis Chemica, sive compositi corporis divisio in plures simplices Res, facta, ut partium componentium natura melius cognoscatur, nequaquam tutissima semper iudicii dux est ad detegendum variae mysterium coniunctionis principiorum, quibus Naturae Res componuntur. Etenim quae-

quaevis, quae per Chemicam obtinentur analysim, haud semper erant in corporibus, antea quam analysim subirent, mutante igne rationem partium corporis suppositi examini, quas evolvit, novasque materias gignente ita, ut resultantiarum ambiguitas neutiquam valeat ad indubium argumentum deferendum, quod nempe partes a Chemico processu obtentae, iam in eo extiterint corpore, prius quam deſtrueretur ab igne. Celebrium quinque Chemicorum adsertorum principiorum elementa sola (exceptis aliquot corporibus, ut Metallis, quae ſolam Terram per analysim Chemicam ex principiis ipsis suppeditare videntur) adsunt in Naturae Rebus paria ſuppeditandis ipsis principiis, quorum efformatio debetur igni. Id quod animadvertendum identidem, ne Chemiae detur extensio maior extensione illa, quam promerita est. Ceterum Viri Chemici haud pauca retulere exempla particularum quarumdam materiei indivisibilium ab igne, et respuentium dissolutionem cuivis agenti corpori.

Praeter Botanica itinera, quae fere per totam Italiam fecit *Malocchius*, illud praesertim laudandum quod per maritima Italicae inſulae Corsicae loca peregit, ex qua praecipue Scyllam ad Pisanum Botanicum Viretum adtulit, sicuti Scyllam pariter e Tiburi *Iosephus Benincasa* adtulerat.

Malocchii nostri alumnus alter Botanicophilus *Zanobius Rocchi* inclaruit Ducis Mantuae Botanicus et Antiquarius, sicuti *Malocchius* Simplicista, et Antiquarius Magni Ducis Etruriae fuit.

Annus 1614, quo *Malocchius* obiit, veteri Pisano more computatus a *Dominico Vigna* fuit, ideoque intelligendum est, *Malocchium* anno vulgaris aerae 1613 occubuisse.

Effigies, picta ad *Malocchii* viventis similitudinem, sicuti

Digitized by Google

sicuti et pictae ad vivam ſimilitudinem laudatorum hoc capite *Rovezzanii*, *Marci* et *Horatii* fratrum *Cornacchini*, et *Dominici Vigna*, a Pisano possidentur Lyceo, inque sua adservantur domo, ad Praefectorum Vireti Botanici Academici habitationem constructa.

ADNOTATIONES AD CAPVT VII.

(*a*) Pagina 259 primi tomi Operis, cui titulus *Proſe Fiorentine. Orazione delle lodi di Ferdinando I. Gran Duca di Toscana, di Giuliano Giraldi Accademico della Crusca, recitata da lui pubblicamente l' anno 1609.*

(*b*) Idem ibidem.

(*c*) *Dominicus Vigna*, ipsius *Malocchii* alumnus, ante alios dilectus, in praecitata Praefatione libri sui editi anno 1625, et *Plantarum Genera &c. Auctore Petro Antonio Michelio Florentino &c.*

(*d*) Decade IV.

(*e*) Idem *Vigna* ibidem.

(*f*) *Dominicus Vigna* pagina 27. sui Opusculi, anno 1625 publici iuris facti, scripsit verba: „ Praeceptore „ meo amantiſſimo *Francisco Malocchio* Viridarii Pisani „ Cuſtode diligentiſſimo, & non solum Simpliciſta, sed „ etiam Antiquario Celeberrimo, multa Simplicia, et „ forsan ab Aliis non visa, repericbantur in ipſo Virida- „ rio, uti testis locupletissimus est Ioannes Pona Ve- „ nonensis in descriptione Montis Baldi &c. „

(*g*) Subintelligi eo magis Aër sub generali solet Telluris nomine, quia non solum circumdatur iugiter Tellus ab Aëre, verum etiam penetratur. Vid. prae ceteris Primatibus Scriptoribus de Phys. sagacissimum *Halesium*, a nobis in Praefatione nostra iam excitatum, et ex *Halesio Arbuthnot.* sane doctiss &c.

(*h*) Anno illo 1608. *Isagoge Spigelii* primum edita

et

et typis vulgata fuit Patavii, ſecundo Amſtelodami ex officina *Elzeviriana* anno 1633, quam editionem ſecundam poſſidens Cl. *Darazzinius*, ea *Spigelii* verba idibus Decembriis anni 1775 per epiſtolam cum nobis communicavit.

(*i*) Bibliotheca Botanica &c. *Seguier*.

(*l*) *Ioſephus Rovezzanius* Piſanus anno 1601 ab immatura praereptus morte fuit, inter Botanicophilos ſuae aetatis nemini ſecundus futurus, ſicuti *Vigna* de eo, primo Magiſtro ſuo in Herbaria, conſcripſit, ſubdens, quod maximo amore, et maxima diligentia conabatur docere principia Simplicium. In pariete clauſtri Piſani Coenobii RR. Patrum, qui *Carmelitae* dicuntur, verſo ad occidentem Solem, insitum eſt perpendiculariter marmor, quo ſepulcralis *Rovezzanii* Inſcriptio ſculpta legitur, ſcilicet

D. O. M.
IOSEPHO ROVEZZANIO IOAN. FIL.
PHIL. ET MED. DOCTORI PIS. CIVI
PRO MAGNO HETR. DVCE IN PATRIO
GYMNASIO SIMPL. MED. PVB. DOCENTI
VITA FVNCTO PRID. NON. MAII
MDCII. AET. AN. XXXVI.
PETRVS FRATER MOESTISS. POS.

IOSEPH VERNACCINI PISANVS CIVIS
EORVM EX MATRE NEPOS ET HAERES
RESTAVRANDVM CVRAVIT PRO SE
SVISQVE DESCENDENTIBVS
ANNO SALVTIS
MDCLVI.

(*m*) Haud abs re fore arbitror hic adnotare ſimillimum veri eſſe, quod *Marco* et *Horatio Cornacchiniis* praelaudatis debeatur permagna pars hodiernae lucis Academiae Cortonensis, quae *Botanophilorum* vocatur, dedita cognoſcendis Plantis, aliisque Naturae Rebus, et quae anno 1763 me, nihil tale putantem, in Colle-

giatum suum cooptari, atque deſcribi dignata fuit mandare. E primis Academiae ipsius Promotoribus, et a secretis iamdiu floret Cl. *Ludovicus Coltellini,* qui Herbariam quoque iamdiu excolit, imitatus exempla ipsorum *Cornacchiniorum,* quorum conſanguinea erat (sicuti id Ille ſignificavit nobis die 16 mensis Maii Anni 1769) Mater ſua, tunc adhuc viva, *Elisabeth Cornacchini*. Addidit Ipſe nobis, *Ludovicum Cornacchinium*, avum maternum ſuum poſſediſſe reliquias hereditatis acquisitae ex eorumdem fratrum *Marci* et *Horatii* morte, ideoque poſſediſſe plures libros, qui ad ipſos fratres duos *Cornacchinios* pertinebant, et qui Roma Cortonam transvecti fuerunt ab *Augustino Cornacchini*, fratre Matris ſuae, atque eximio ſculptore, a quo excuſum Romae marmoreum equeſtre *Caroli Magni* ſimulacrum admirantur Magiſtri artis ſub magnifica *S. Petri in Vaticano*, ut vocant, Porticu. Illi duo fratres *Cornacchinii* genitorem nacti fuerunt *Thomam Cornacchini* Arretinum, qui 33 annis publicus in Pisano Gymnasio Profeſſor Medicinae extitit ab anno 1551 ad annum 1584. *Marcus Cornacchini,* commutata Cathedra Botanices cum Cathedra de Medicina pratica Ordinaria, quam tot annis illis Pater suus *Thomas* exercuerat, hanc conscendit ab anno 1607 ad annum 1621. Denique ob graviſſimos, e Medicina clinica relatos, labores eo anno 1621 occubuit, in lucem editis Patavii anno 1605 *Tabulis Medicis*, a Patre ſuo compoſitis, editoque Opuſculo ſuo inſcripto *Methodus, qua omnes Humani Corporis affectiones ab humoribus, copia vel qualitate peccantibus, genitae, tuto, cito, et iucunde curantur*. Quae Methodus eſt modus, quo propinandus docetur Pulvis compositus, leniter solvens alvum, qui nominari adsuevit *Pulvis Cornacchinus,* seu *Pulvis Comitis Warwick*, seu *Pulvis de Tribus*, quia solis Diagridio, Cremore Tartari,

atque

Digitized by Google

atque Antimonio diaphoretico efformatur, et qui in multis Nosocomeiis utiliter usurpatur ...... *Horatius Cornacchini*, qui ab Cl. *Linnaeo* in sua *Bibliotheca Botanica* omissus fuit, anno 1600 in Patavino Gymnasio Professor Logices inclaruit, sicuti ea ferebant tempora, Pataviique typis tradidit librum inscriptum *Indagatio verae et perfectae Definitionis Logicae*, quum anno 1606 ad Pisanum hoc migravit Gymnasium. Anno autem 1607 primum legit publice Simplicia, fratri suo ſubſtitutus *Marco*. Verum solis annis 1607, et 1608, lecturam Simplicium praestitit Pisis, quia desiderio flagrans novarum cognoscendarum brevi temporis spatio Plantarum, Alpes, totam Ilvam, et alias Etruriae Partes, canicularibus peragravit diebus, nimioque calore laesus, obiit in aetatis flore contra votum. Ea trium laudatorum *Cornacchiniorum* Opuscula nominavere *Vander Linden de Scriptis medicis*, aliique Auctores.

(*n*) *Dominicus Vigna*, qui scripsit, se a *Rovezzanio* poſtremis duodecim huius Viri vitae mensibus anno 1601 principia Herbariae didicisse, incepit Cathedram Pisanam Botanices conscendere die 16 Februarii anni 1609 extra ordinem, anni vero 1620 Octobri mense declaratus fuit Ordinarius Herbariae Professor.

(*o*) „Del Gusto degli Antichi Romani per gli Odori „Discorso di Giuseppe Maria Querci, Recitato nella Adu„nanza della Accademia Quirina, tenutasi negli Orti „Corsini il di xv Luglio MDCCLXIII. &c. In Roma „MDCCLXIV„. Qui *Iosephus Querci* Florentinus Praesbiter, et Canonicus Romanus, ac Praefectus Florentino insigni Museo Regii nostri admirandi Archi-Ducis Austriae, Magnique Etruriae Ducis *PETRI LEOPOLDI*, et Vir multae erudictionis selectioris, comitatisque, praematuro fato cessit Florentiae, paucis abhinc mensibus, magna sapientiae

pernicie, maximoque dolore Gravissimi Doctissimique sui Fratris Iuriſconſulti *Stephani Querci*, alterius ex Auditoribus Consiliariis eiusdem Archi-Ducis nostri.

(*p*) Elementa Chemica &c., quae &c. *Hermannus Boërhaave* &c. Lipsiae 1732.

(*q*) Fallax opinio invaluit, a vocabulo *Alchemia* significari *Chemiam Metallorum*. Vocabulorum *Chemia*, vel *Chimia*, vel *Chymia*, significatum non immutat articulus *Al*, additus ab Arabibus, quo ea Gens pleraque Graeca vocabula interpolavit, sicuti *Scaliger* in Culicem *Virgilii* primus adnotavit, et cuius articuli additione vocabulum *Alchemia* emersit.

(*r*) Idem *Boërhaave* ibidem.

(*s*) Lettera Critica sopra un Manoſcritto in Cera. pagina 82.

(*t*) Post *Conſtantinum* Africum Cartaginensem, Medicum inlustrem, (qui, factis per Orientales Regiones itineribus, allapsus Salerno circa annum 1060, factusque a secretis apud *Robertum* Ducem Apuliae Calabriaeque, et filium *Guilelmi I*, Regis Angliae XXI, ibi studia medica erexit, et quum tandem circa annum 1072 Casinensi Monasterio, prope Salernum sito, se dedidisset, suorum medicorum Operum tomum Abbati suo *Desiderio* dicavit) *Rugerus Baco* potissimum, qui circa annum 1226 in praelaudata florebat Franciscanorum Familia, Chemiae operam dedit, et *Speculum Alchemiae*. &c. exaravit. *Albertus*, cognomento *Magnus*, Svevus, anno 1259 Episcopus Ratisbonensis, item *Speculum Alchemiae* conscripsit. Divus *Thomas de Aquino*, qui anno 1274 ad Superos evolavit, *Thesaurum Alchemiae Secretissimum*, inter tot alia Opera sua maximi facta, elucubravit. *Iohannes de Rupe scissa* Franciscanus, qui anno 1375 obiit, *Alchemica* aliqua litteris mandavit. *Basilius Valentinus*, Monachus Ordinis Be-

Benedictinorum, in omni Chemia expertissimus fuit anno 1490, in quo et *Trithemius* Abbas Spanheimensis. Paullo ante *Malocchii* noſtri ortum, *Trithemii* alumnus *Paracelsus* Helvetus, non Monachus, in Medicinam Clinicam iam invexerat plurima adfirmata remedia, e quibus vera Opium, Ferrum, et Hydrargyrum sola laudatiora sunt. *Malocchio* ipsi coaevus, *Helmontius* Bruxellensis, qui Medentium Chemicorum antesignanum se praebere contendit, Chemiam pharmaceuticam eo magis promoverat, dum annos quinquaginta in destillationibus impenderat, quarum gratia pluris habitus a duobus fuit Augustis Imperatoribus, atque ab Iis invitatus, sicuti et ab Electore Pontifice Coloniensi, studiosissimo Chemiae, quemadmodum idem *Boërhaave* perhibuit.

(*u*) Haud ita paucis ante Chemiam pharmaceuticam saeculis, antiquissimorum Hominum credulitatem, quod ad medicas Rerum Naturae potestates suppositas adtinet, sequuti procul dubio fuere ipsi usque *Hippocrates*, licet perspicax, et uſque *Aretaeus*, qui primus *Hippocratis* aemulus effulsit quo ad Nosologiam praesertim, qua excelluere ambo hi Viri sapientissimi, sagacesque, quos ceterum summis ſemper laudibus evehere in more habui. Tum *Hippocrates*, tum *Aretaeus*, multa praescripsere pharmaca, potissimum simplicia, e quibus aliqua violentia, etsi non ab uno scriptum fuerit Auctore medico, Ambos propinasse pauca pharmaca, Amborumque therapeuticam fuisse simplicissimam. Huiusmodi notrae adsertionis fundamentum est demonstratio, quam exegimus, deduximusque ex ipsis *Hippocratis*, atque *Aretaei* Operibus, et quam hic brevitati studentes omittimus. Brevissimi tamen hoc loco speciminis per transennam exhibendi gratia, ad mentem revocamus inter alia, quae a Viris criticis genuina reputantur, Opera *Hippocratis*, primum *de Morbis Muliebribus* librum magnam

Hippo-

Hippocratis fiduciae medicae copiam haud infrequenter patefacere. Ibi legitur.... „ 101. Ad Conceptum Pili Asini „albi, Lupi stercus &c.... 104. Aliud Puerperii Purgamen- „tum melius purgans, Hepar Testudinis marinae, adhuc „viventis, &c .... 109. Ad Fetum mortuum eiiciendum „Adeps Gallinaceus, Testudinis marinae cerebrum, &c... „110. Abortus Sanatio Murium stercus, &c. „. Quae propter nihil mirum, quod e *Theophraſti Eresii* Sectatoribus, generice in nostra Praefatione laudatis, *Erasistratus*, qui fundavit alteram e celebribus Sectis Medicis Smyrnaeis Virorum Medicorum insignium, a *Meadio* inlustratorum, haud pauca reprobaverit *Hippocratis* pharmaca... Alteram praememoratae nostrae demostrationis partem elicuimus iamdiu ex iisdem Operibus *Aretaei*, quae nisi polypharmacae credulitatis frequentia praeseferrent signa, et violentia aliquot laudarent medicamenta intenta, *Aretaeus* subintelligi deberet inter Sectatores celebratorum in Praefatione nostra *Theophrasti*, atque *Asclepiadis* Bithyni. Qui *Asclepiades* sortitus in Natolia ortum fuit aeque ac *Aretaeus*, et postquam per annos L. circiter floruerat, occubuit ante *Christi* ortum annis plus minus XC, annis vero circiter CL, anteaquam floreret *Aretaeus*: et qui *Asclepiades*, sicuti *Celsus* ipsum laudans adnotavit, „ Medica- „mentorum usum magna ex parte sustulit, et quum „omnia fere medicamenta stomachum laedant, malique „succi sint, ad ipsius victus rationem potius omnem „curam suam transtulit„.

CAPVT VIII.

Digitized by Google

CAPVT VIII.

DE OCTAVO PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO.

IOHANNE ROCCHI

AB obitu *Francisci Malocchii*, quem obitum evenisse die nona supra decimam mensis Ianuarii anni Christianae aerae 1613 diximus, praefuit ad totum mensem Octobrem eiusdem anni, seu mensibus fere decem solis, Pisano Vireto Botanico Academico, &c. *Iohannes Rocchi* Florentinus, *Malocchii* eiusdem nepos, sicuti *Dominicus Vigna*, praecipuus *Malocchii* alumnus, recitat in sui, a nobis praecitati, Opusculi Praefatione, in publicam lucem editi anno 1625. Idem *Rocchi* librum composuit Plantarum, in quo a se ipso delineatae iuxta respectivos singularum characteres fuerant: id adserente Cl. *Targionio Tozzettio* in *Prodromo*. De ipso *Rocchi* nil aliud deprehendere datum fuit, ideoque ob ulteriorum notitiarum penuriam, memoriarumve inopiam, referri hic neutiquam potest praecisa certitudine, quid relative ad Pisanum Viretum Botanicum Academicum, et Museum Rerum Naturae, atque Elaboratorium Chemicum, praestiterit paucis illis mensibus. Sed, quum eidem *Iohanni Rocchi*, quamvis ad paucos menses, Vireti Botanici Academici, et Musei Rerum Naturae, atque Elaboratorii Chemici cura conlata fuerit, quumque ipse, addictus docto Patruo *Malocchio* nepos, cum eo convixerit, librumque citatum scite delineaverit; hinc hisce de circumstantiis coniectura haud contemnenda dicendum videtur, eumdem *Iohannem Rocchi* haud mediocriter calluisse respectivas sapientiae Physicae partes, ideoque nisi augendo, saltem servando, laudatissimo tunc temporis etiam, statui Pisani Vireti Bota-

ta-

tanici Academici, Musei Rerum Naturae, Chemicique Elaboratorii, parem quadantenus fuisse. Verum Magnus Dux *COSMAS II*, meliora cogitans, et maiorem cordi habens publicam utilitatem, ideoque Pisanum Gymnasium, suumque Viretum Botanicum, Museum, atque Elaboratorium Chemicum, creavit Praefectum alium, *Dominicum Vigna* publicum, Herbariae in Pisano Lyceo Profeſſorem, cuius caussa *Iohannes Rocchi* ceſſavit, et qui scholastico anno 1614 praeesse instituit, cessaturus et ipse statim, ac Pisas perveniret *Iacobus Macolo* Scotus.

CAPVT IX.

CAPVT IX.

DE NONO PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO

DOMINICO VIGNA

INtermittens fuit *Dominici Vigna* nobilis Florentini Praefectura Pisano Vireto Botanico Academico, huiusque forsitan intermittentiae caussa idem *Vigna* memorationem sui ipsius omisit, quum praedecessorum Vireti eiusdem Praefectorum seriem usque ad annum 1625 describere contendit, et typis edidit. In Regiae Sessionis decretis, providentibus Pisano Lyceo pro scholaſtico anno 1614, verba de *Dominico Vigna* leguntur, scilicet „ Dum adest curae Horti Simplicium, Lectioni „ sc. 100; quando non praeest huiusmodi Cuſtodiae, tan„ tum sc. 60 „.

Huius Regii Decreti caussa *Vigna* ipse prima vice curavit Viretum Botanicum, et Rerum Naturae Museum, (quod ipse nominabat abundantissimum, elegantissimumque), atque Elaboratorium Chemicum, illo anno 1614, qui primus itidem fuit annus, quo Cl. *Hieronymus Sommaia* Patricius Florentinus ad Pisani Gymnasii curam promotus fuit. Ea vero curavit *Dominicus Vigna*, donec e Scotia Pisas adveniret *Iacobus Macolo* Scotus, qui eadem illa Sessione creatus fuit perpetuus, firmusque eiusdem Vireti Museique Praefectus, sive ſtabilis, et publicus in Pisano Lyceo Professor Medicinae theoreticae extraordinariae; atque donec adveniret dicti *Iacobi* frater, *Iohannes Macolo*, qui Elaboratorii Chemici director, et in ipso Elaboratorio lecturus publice Medicinam Chemicam conductus synchrone fuerat.

Ob Regium idem decretum alias inde etiam, et plu-

ries idem *Vigna* curam geſſit Vireti, quotiescumque abesset Praefectus firmus, sicuti docent litterae, anni 1632 Octobris die 25 a *Iosepho Barni* exaratae, qui Scribae munere fungebatur apud *Sebastianum Cellesi*, Iurisconsultum Magni Ducis *FERDINANDI II.* pro Pisana Academia Auditorem.

Dominicus Vigna Botanice imbutus fuerat in Pisanis Lyceo, et Vireto ipso, primum a *Rovezzanio*, inde a *Malocchio*, qui *COSMAE II.* Magno Duci IV, heredi non modo Principatus, sed etiam virtutum Procerum suorum, *Vignam* alumnum probatiſſimum depraedicaverat.

Perpetuum *Dominici Vigna* munus erat docendi publice e suggesto Botanicen in primis, quandoque autem Historiae Naturae partem, ad Musei Res relativam, quam diximus, Eum publice docere occepisse die sexta Februarii anni 1609, quo anno in Cathedra illa extraordinaria Botanices ſuffectus fuit *Horatio Cornacchinio*, *COSMAE* eiusdem liberalitate. Vndecim post annos, ſcilicet anno 1620, *Vigna* idem ad Ordinariam eiusdem Herbariae Cathedram promotus fuit a Magno Duce *FERDINANDO II*, cui dicavit inde anno 1625 scriptas a se Animadversiones et Observationes in *Theophrasti* libros de Natura et Caussis Plantarum (*a*), doctissimo dein Magno Duci, a Progenitorum exemplis ad studia incitato, atque disciplinarum omnium, sed Philosophiae potissimum, et de sapientibus Viris optime merito.

Botanicen e Cathedra docuit *Dominicus Vigna* usque ad anni 1647 Ianuarium mensem, cuius die decima obiit, relicta adnotatione autographa, annuum maiorem a se ipso publice habitarum lectionum numerum fuisse 86 anno 1618, ceteris vero annis fuisse numerum plus minus 70.

Huius *Dominici* filio *Conſtantino* die 21 Octobris

anni

anni 1638 collata extraordinaria Herbariae Cathedra fuit pro Iovis diebus, ac Festis, sine stipendio quidem, sed privilegiis aliquot donato. Qua de re *Constantinus* in maxima schola publicas lectiones suas coram etiam Lycei Pisani Curatore *Gherardo Saracinio* Viro nobili Senensi auspicatus fuit.

Dominicus Vigna floridioribus virilitatis suae annis mutas inglorius artes agitaverat, ſeu medicinam fecerat, in Pisanae ditionis locis, quae dicuntur *Vico Pisano*, *Valle di But.*, *Bientina*, et *Calcinaia*. Ideo, quum Pisas inde migraverat publicus Gymnasii Professor effectus, sua in curandis morbis peritia ab aequissimis laudatoribus multis percelebrabatur, paucis admodum exceptis, qui, non aequi doctorum Virorum ae timatores, meritum distribuere ad libitum, ut fere usuvenit, solebant Iccirco factitabat Pisis Medicinam *Dominicus Vigna* tum in Nosocomeio, tum in pluribus Coenobiis Monialium ac Monachorum, e quibus Illi, qui ad Divi *Franciſci* inhabitant, in sui Conventus Medicum menſe Iulio anni 1625 delegerunt ob *Petri Ruſca* nobilis Pisani mortem, publici ab anno 1587 Chirurgiae in Pisano Lyceo Professoris, qui *Iohanne Ruſca* fratre utebatur publico Anatomes Magistro, et cuius cadaver in Divi *Nicolai* die decima illius mensis tumulatum fuit. Eo ipso autem anno 1625 *Dominicus Vigna* Medicorum Pisani Noſocomeii princeps florebat, et clarioribus multis Pisanis Familiis medicabatur.

Conquisitis quadantenus divitiis, ipse *Dominicus* non modo agros, sub urbem Pisanam sitos in Sancti Michaëlis Communitate, sed et aliquas Pisarum domos emit, instauravitque annis 1613, 1616, et 1636, publicis excusis Inscriptionibus id perhibentibus, et perdocentibus, *Dominicum Vignam* decorasse quodammodo per aedificia duo (*b*) Pisanam urbem.

O 2 Idem

Digitized by Google

Idem *Dominicus* itinera Botanica per fere totam Pisanam in primis ditionem, atque huius per fines peragravit, praecitato suo Opusculo id demonstrante, peritiamque ipsius *Dominici* Botanicam praeseferente, Plantarum praesertim Vallis Calcensis, Vallis Agnanensis, Montium Sancti Iuliani supra thermalia Balnea clarissima, *Corliani*, Montium Avanae, *Ripae fractae* (quem locum *Thomas Dempsterus*, atque *Bernhardus Oricellarius*, nominavere *Liberam factam*), et totius Pisani littoris maritimi, denique *Vecchiani* trans flumen siti, quod vocatur *Serchio*.

E *Dominici Vigna* alumnis instar omnium fuit Cl. *Franciscus Redius* Arretinus annis 1645, et 1646.

E libris, a Pisano quondam conquisitis Vireto Botanico Academico, alter autographus, compositusque a *Dominico Vigna*, nominatus fuit in Catalogo inedito, qui liber fortassis ille, cuius publicam edendi ſpem largitus fuit (*c*) anno 1754 Cl. *Targionius Tozzettius*, nempe: „Catalogi di Piante e Droghe, descritte da esso (*Domenico*) „*Vigna*, e delle sue Lezioni sopra le Gomme e le Resine, „&c., e dei suoi Viaggi Botanici per la Toscana„.

ADNOTATIONES AD CAPVT IX.

(*a*) Praeclarissimus *Hallerus* pagina 436 primi suae erudietissimae *Bibliothecae Botanicae* tomi §. CCCCLVI. haec habet „ *Dominici Vigna* Florentini Animadversiones in „libros De Historia et Causis Plantarum Theophrasti. „Pisis 1628 „(re vera anno 1625)„ 4. Praefectus Horti „Pisani &c. Dictionarium ceterum est Graeco-Latinum, „et Italicum. Intercedunt aliquae adnotationes de Agal„locho; de Cneori Sanamundae certa vi adversus haemor„rhoides dolentes; de Cytiso, quem putat noster se de„texisse; de herba Lucciola (Iunco Luiula); de pannis

ex

„ex Genista textis; et de Locis natalibus variarum Plan-„tarum „. Hoc autem *Dominici Vigna* Opusculum mihi perhumaniter commodatum fuit a Cultissimo *Carolo Barsanti* Pisano, ac Philosophiae et Medicinae Doctore celeberrimo.

(*b*) In Pisarum urbis via, quae dicitur *Tavolerìa*, supra Domus portam excusus lapis legitur, scilicet

AEDES VETVSTATE DELAPSAS
DOMINICVS VIGNA HERCVLIS. F.
EX ANTIQVA PROSPERORVM FAMILIA FLOR.
PHIL. ATQVE MED. DOCTOR
EQVES AVRATVS ET COMES PALATINVS
SIMPL. PISIS PVB. PROF.
COSMO II. M. D. AETRVRIAE IV. IMP.
REAEEDIFICANDAS CVRAVIT
A. S. MDCXIII.

Praeterea Marmore insculpta Inscriptio, insitaque in publico muro Conventus RR. Patrum excalceatorum, sive nudipedum, qui vocantur *Carmelitae*, anno 1636, praeter minoris momenti alteram, se habet, nempe

COSMO II. M. D. ETR. IV. IMP.
TVRRIM VETVSTATE LABANTEM
PLATEAMQVE SITV INFORMEM
HIS AEDIBVS DECORAVIT
DOMINICVS VIGNA DE PROSPERIS HERC. F.
MED. PHIL. EQVES AVRATVS COMES PALATINVS
A. S. MDCXVI.
FIDEIQVE COMMISSO SVBIECIT
MDCXXXVI
FERD. II. M. D. ETR. V. DOM.

(*c*) Prodromo &c. pagina 117.

CAPVT X.

CAPVT X.

DE DECIMO PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO

IACOBO MACOLO.

I*Acobus Macolo* Scotus, physicam medicamque laurum adeptus, electus fuit Pisani Vireti Botanici Academici Praefectus firmus, atque Musei Rerum Naturae, pro scholastico primum anno 1614, quemadmodum innuimus, adsignato ducentorum nummorum stipendio Praefacturae caussa, totidemque nummorum propter extraordinariae Medicinae theoreticae Cathedram, ipsi quoque conlatam, ex qua Fen I. Canon. *Avicennae* hora prima post meridiem legit publice. Eodem autem anno 1614 instituit non solum Pisano Vireto Botanico, ac Museo, praeesse, sed et enunciatam medicae artis partem simul publice in Pisano Gymnasio profiteri.

Iohannes Macolo, frater *Iacobi* eiusdem, ac laurea et ipse donatus Apollinari, synchrone Elaboratorii Chemici Praefectus creatus fuit, decreto et ipsi *Iohanni* ducentorum itidem nummorum stipendio, totidemque ob munus alterum eidem *Iohanni* indictum, nempe docendi publice in Elaboratorio ipso *Medicinam Chemicam*, quam hora tertia antemeridiana explanabat in Elaboratorio eodem, in quo Chemicos Processus agitabat, numerosissima Audientium, Spectatorumque, frequentia.

Quum *COSMAS II.* (natus anno 1590 Magnis Etruriae Ducibus *FERDINANDO I.* et *CHRISTINA LOTHARINGIA* coniugibus) ad Etruscarum Gentium custodiam adsumtus anno 1608 fuerat, adflictari solebat valetudine, quam minus commodam a parvis tulerat; regnabatque ita valetudinarius, ut ab omni abhorreret Ma-

Digitized by Google

Magnitudine splendoris Regii, et dicere soleret, se conditioni invidere obscurorum Hominum pollentium salute corporis (*a*). Talem ob aegritudinem Etruscis Rebus quidem providebat, sed etiam crebris Magnae Ducis Matris suae consiliis utebatur non modo, verum etiam voluit penes Eam quoque esse publicarum Rerum summam, atque politica omnia Etruriae secreta patefacta, adeo Maternae menti erectae tribuens. *CHRISTINA* etenim, dum adoleverat Parisiis, edocta sublimes politicas administrationes fuerat ab *CATHERINA MEDICEA* Materna Ava, quum, Galliarum Rectrix declarata ab decenne filio Rege *CAROLO IX*, totas Gallias regebat Imperio. Praeterea inde a *FERDINANDO I.* coniuge *CHRISTINA* ipsa admissa pluries ad gravissima Etrusci Regni negotia fuerat. Accedebat, quod *CHRISTINAE* consilia probarentur ab Omnibus, qui aliarum etiam virtutum *CHRISTINAE* admirationem hauserant animis, et in quorum erat sermonibus incredibilis tum pietas *CHRISTINAE* in Superos, tum in Populos humanitas, quae eo aestimabilior, quo difficilius in Magnitudine et gravitate summae fortunae retinetur. Dum haec ita se haberent, Pisanae etiam Academiae decoris incrementum cordi fuit adeo, ut in primis anno 1610 *Galilaeus Galileius* (qui annis 1589, 1590, et 1591 Pisani Lycei Cathedram exercuerat) a Patavino Lyceo ad Pisanum revocatus, reductusque munificentissimis conditionibus fuerit, aliique nove Magistri publici fuerint conducti, quos inter praenominati fratres duo *Iacobus Macolo*, et *Iohannes Macolo* e Scotia. Ex ipsa itidem Scotia anno 1616 *Thomas Dempsterus* ad Pisanam publicam Pandectarum Cathedram quingentis annuis nummis in totum advectus fuit, sicuti liquet ex litteris Iurisconsultorum tunc temporis Auditorum a secretis Regiis *Camilli Guidii*, et *Curtii Pichena*, ad

Gym-

Digitized by Google

Gymnasii Pisani Curatorem Cl. *Hieronymum Sommaia* Patricium Florentinum praelaudatum datis: quam Cathedram *Dempsterus* annis 1617, 1618, 1619, et 1620 adimplevit.

Iacobum Macolo botanice peragrasse autumabat anno 1754 Cl. *Targionius Tozzettius* (b), publicamque concipi curavit spem editionis notitiarum aliquot de suppositis botanicis *Iacobi* eiusdem itineribus. De hisce vero nullum nobis deprehendere datum fuit teſtimonium, neque de ipsius *Iacobi*, quod Herbariam praecipue adtinet, peritia, ac diligentia, quibus Pisanum Viretum Botanicum Academicum iuvaretur, ideoque medici Tirones et Medicamentorum Conditores, publico beneficio docerentur. Imo *Iacobi* ipsius quoddam incuriae saltem, nisi et modicae peritiae, indicium haud deest in huius Pisani Lycei Actis ineditis, exaratisque anno 1616, Pisano vero more 1617, ita, ut, sub illius anni finem, centum donatus nummis, ab utroque cessaverit munere, abieritque. Porro labis quodammodo initium Vireto Botanico adsciverat, fortassis etiam quia a Botanicis studiis abstraxerat Homines, florens eo magis illis temporibus Chemia non modo Metallorum, verum etiam Chemia pharmaceutica, quae *magnum Opus* ita dictum quaerebant, artemque reddendi diuturnam ultra Naturae fines Humanam vitam: quam artem iactabant illius aetatis Chemici aeque, ac mutandi ignobilia Metalla in Aurum, atque obtinendarum soliditatis, et malleabilitatis Hydrargyri.

Eam Vireti Botanici labem *COSMAS II* tulit aegerrime, utpote qui, Avita imitatus exempla, magna et Ipse flagrabat sollicitudine eo magis studii Botanici propagandi, ideoque e longinquis Regionibus Plantas deferri magnis impensis curaverat, et pluribus recreare canalibus Hortum, etsi *FERDINANDVS I.* genitor,

nitor, a quo area Vireti emta fuit, variis iam, elegantibusque fontibus Viretum idem instruxisset, atque ornasset. AEgerrime tulit *COSMAS II*, etiam quia praeterea, animi recreandi gratia, ad Viretum ipsum, Regiis AEdibus vicinum, accedere solebat, aeque ac duae Magnae Duces *CHRISTINA LOTHARINGIA* sua genitrix, et *MARIA MAGDALENA* Archi-Dux Austriae uxor sua: quae ambae alia etiam aliquot amoena Pisarum Vireta adire quandoque habebant in deliciis (*c*).

Iacobum Macolo inter alios Pisani Vireti Botanici Academici Praefectos neutiquam nominavere *Linnaeus*, *Seguierius*, *Hallerus* in respectiva *Bibliotheca Botanica*, annis 1736, 1740, et 1771 edita.

Iohannes Macolo, huiusce *Iacobi* frater, omnium ora atque oculos in se conversos, et aures tenebat arrectas, difficillimas spondens (sicuti in illius aetatis Medicorum Chemicorum more erat) Humani cuiusvis morbi profligationes, medicamentum univerſale iactans elicitum ex auro, aurum potabile, et extractionem auri ex ignobilibus metallis, aliaque Chemica perhibens a se facta miranda plura, nempe phosphoros, tonantis pulveris fragorem, plures extemporaneas effervescentias, et repentinas coloris rerum plurium immutationes a se ipso per artem factas coram, plurimas gratissime odoriferas materias, aliasque odoratus organum validissime percellentes, veluti spiritus, ut vocant, volatiles, ut et sales eos, qui citissime in auras evanescunt, atque alia permulta.

Praefecturae *Iohannis Macolo* annis Elaboratorium Chemicum eleganti exornatum fuit ambulacro, structo super fornicem Porticus accommodatissimae; lapideis figuris; et variis hydraulicis occultorum aquaeductuum plumbeorum fontibus, copiosam aquam suppeditantibus: instructum vero clibanis, sive furnulis, aliis pluribus,

magnisque cupreis pro destillationibus instrumentis, quorum alterum pro aliis inserviebat destillationibus, unica Solis ope peragendis. Eiusdem vero Elaboratorii facies Conchis, aliisque Testaceis ad specus formam dispositis firmatisque, nec non extemporaneis ad libitum illudentium aquarum eiaculationibus instructa erat.

Iohannes Macolo praeter Medicinam practicam Chemicam, ſeu *Praxim Iatro-Chymicam*, quam in Lyceo e Cathedra docebat hora tertia antemeridiana, docere etiam contendebat theoreticam Medicinam Chemicam, iuxta illorum quoque temporum, ut vocant, spiritum, quo explicare praecipua oeconomiae animalis phaenomena contendebatur comparationibus, desumtis a modis agendi Chemiae. Tunc etenim ut plurimum credebatur, Naturam Chemicis operari iugiter modis non solum in Humano corpore, sed etiam in ceteris omnibus Animantibus, aliisque Rebus efformandis, producendis, servandis, destruendisque. Europaea Gymnasia temporum illorum adhuc propositiones eiusmodi repetebant, ipsisque propositionibus Opera Magiſtrorum, Successorumque aliquot, ut *Sylvii Du Bois de le Boe*, *Othonis Tachenii*, aliorumque redundant.

Anno 1616 *Iohannes Macolo*, dum Pisano Lyceo inserviebat, typis Florentinis edidit *Theoriam Chymicam Luis Venereae*, quae Hermeticae Medicinae elementa pandit, Iurisconsulto dedicatam Auditori Magni Ducis Etruriae *Iulio Caballo*.

Inde anno 1617 diebus, qui nominantur *quadrageſimales*, non rediturus abiit centum donatus drachmis auri, Londinumque reversus fortunam adhuc arridentem paucos post annos nactus fuit. Porro anno 1622 locum retulit inter Ordinarios Archiatros *IACOBI I*, Regis Magnae Britanniae, nempe *Iacobi VI Stuardi*, IX Regis Sco-

Scotiae, et XLIV Regis Angliae, quem moriens Regina *Elisabeth* haeredem Magnae Britanniae nominavit, et qui anno 1625 occubuit.

Dum vero *Iohannes Macolo* Regius Archiater vitam transigebat Regali clarus in aula, ipso anno illo 1622 in lucem emisit *Iatriam. Chymicam exemplo Therapeiae Luis Venereae illustratam* Londini, Regi *IACOBO I.* eidem inscriptam.

Quod utrumque *Iohannis Macoli* Opus acriter prosequutus est Cl. *Astrucius* (*d*), edocens prae ceteris, ipsum *Iohannem Macolum* anno 1659 migrasse ad plures.

Cl. *Dempsterus* ambos hosce populares suos *Macolos* nominavit quidem (*e*), sed ieiune admodum, de Pisis agens, scribensque verba „ Est et Hortus Simplicium „capaci loco, ac eleganti aëre salubri cum Porticu, ubi „rarissima quaeque asservanrur, et relatu dignissima. „Curam habebat superiori anno *Iacobus Macolo* Scotus, „cuius frater *Iohannes Macolo* Chymicae Medicinae Pro„fessor. Ambo, Academia relicta, diversim abiere „.

ADNOTATIONES AD CAPVT X.

(*a*) Compendi Istorici del Conte Alfonso Loschi Vicentino &c. In Venezia 1652.

(*b*) Prodromo della Corografia, e della Topografia Fisica della Toscana &c. In Firenze. 1754.

(*c*) Ex Pisanis Viretis amoenioribus per ea tempora
Hortus odoratis suberat cultissimus Herbis,
Septus humum rivo lene sonantis aquae.
Quem Hortum, seu Viretum, aliquoties adibant ambae illae Magnae Duces Etruriae. Potior ad Viretum illud ingressus patebat in spatio proxime parallelo Ecclesiae Divi *Antonii*, inter Ecclesiam eamdem, et respectivam proximam moenium partem, ipsum coli curante tunc tem-

 poris

poris R. Patre Magistro *Laelio Balîono* Florentino Ordinis Servorum, publico in Pisana Academia Profeſsore ad Sacram Theologiam, qui anno communis aerae 1617, Pisani vero moris 1618, super rectangularem illius Vireti Portam, ad Solem occidentem positam, apponi voluit Inscriptionem lapide excusam, nempe

COSMI. II. MAGNI. HETRVRIAE. DVCIS. BENEFICIO.
F. LELIVS. BALIONVS. ORD. SERVORVM.
IN. PISANO. GYMNASIO. SACRAE. THEO. PROFESSOR.
VIRIDARIVM. PLATEAM. CIRCVMQVE. PARIETES.
FECIT. STRAVIT. EREXIT.
MDCXVIII.

(*d*) *De Morbis Venereis* tomo secundo.
(*e*) *Hetruria Regal.* tomo ſecundo pagina 256.

CAPVT XI.

Digitized by Google

CAPVT XI.

DE VNDECIMO PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO

PANCRATIO MAZZANGA.

POst *Iacobi Macoli* diſceſſum *Dominicus* iterum *Vigna*, publicus Herbariae in Piſano Lyceo Profeſſor, curam Piſani Vireti Botanici Academici, Muſei Rerum Naturae, nec non Elaboratorii Chemici geſſit uſque ad fere totum Octobrem anni 1617. Huius etenim menſis die vigeſimo cura eadem conceſſa fuit ſtipendio annuorum 240 nummorum *Pancratio Mazzanga* Bargaco, Philoſophiae et Medicinae Doctori, qui praememorati Praefecti IV. *Laurentii Mazzanga* filius, vel nepos, veroſimiliter fuit.

Pancratius pro hoc obtinendo munere deprecatus fuerat, propriis fidens potiſſimum meritis clinicae medicae ſuae operae, quam Etruſcis Triremibus per annos duodecim navigans aequora praeſtiterat.

Meminiſſe iuvabit, Magnum Ducem *COSMAM II.* poſt tot ſalutis diſcrimina obiiſſe die 20 Februarii anni 1620, iuvenili annorum fere 31 aetate, ideoque Etruſci Regni haeredem tunc evaſiſſe filium ſuum *FERDINANDVM II*, natum anno 1610. Decennis igitur novi Magni Ducis adoleſcentuli tutelam adſumſit quae maturum ſemper iudicium, rectitudinem, et pietatem prae ſe tulit Genitrix *MARIA MAGDALENA* Archi-Dux Auſtriae, ſibi conſociata Socru Magna Duce *CHRISTINA LOTHARINGIA* praecelebrata, quae publicarum regundarum Rerum canones, ſicuti pronunciavimus, callebat iamdiu ad graviora quaecque capienda conſilia. Ipſae igitur tutrices Magnae Duces eodem anno illo 1620 munifi-

nificenter *Pancratium Mazzanga* largitae fuerunt extraordinario nummorum centum dono, eo quod diligentem, fidelemque operam Vireto Botanico Pisano dedisset.

„Circa haec tempora bellis agitata Europa, deficientibus litterarum praemiis, commercio librorum interrupto, Gentibus ad paupertatem redactis, mortuis praecipuis Rei Herbariae Statoribus, Res Herbaria languit &c. Sed etiam Chemia, et Alchemia, quae eo tempore floruerunt, multa bona ingenia a Stirpium amore subduxerunt, ut efficaciora remedia novam per artem quaererent. Utraque tamen India subinde suos thesauros in Europam refundebat, et passim Rem Herbariam ditabat„ (*a*).

Nihilo minus *Dominicus Vigna* anno 1625 palam protulit (*b*), Pisanum Viretum Botanicum Academicum tunc esse „ omnium Simplicium uberrimum, et multa cum laude affluentius virere„ additis ceterum de ipso *Pancratio Mazzanga* verbis „ ab anno 1617 ad praesens, tale Viridarium ad pristinum statum reducere conatur „. Quae verba innuere videntur quoque labem, ac veluti squaloris initium, quo *Iacobus Macolo* Viretum idem laeserat, et vulnus, ut ita dicam, Vireto inflixerat ita, ut annorum septem decursus ab anno 1617 ad annum 1625 neutiquam suffecisset ad ipsum sanandum prorsus.

Anno 1622 *Pancratius Mazzanga* cum aliis Pisarum Machaonibus concurrit pro obtinendo etiam munere Medici Hominum Arcis Navalis. Verum, subinfenso Pisani Lycei Curatore *Hieronymo Sommaia*, nequaquam voti compos evasit. Imo inde anno Christianae aerae 1625, paullo post octavam supra decimam mensis Martii diem, a Vireti, Musei, atque Elaboratorii Praefectura cessavit, nove descriptis Rebus mobilibus omnibus, nempe vasis, aliisque instrumentis, materiisque, ad ea tria loca pertinentibus.

Florentiae vero postremum fatum subiit die 20 Octo-

Digitized by Google

Octobris anni 1628 *Pancratius Mazzanga*.

Cl. *Targionius Tozzettius* (*c*) anno 1754 sibi blanditus fuit spe inveniendarum de Botanicis *Pancratii Mazzanga* itineribus notitiarum, sicuti et praenominati *Iacobi Macolo*. Eas fortassis haud reperire fuerit, etiam quia anno 1623 die 25 Februarii (quo anno *Pancratius Mazzanga* Praefecturam gerebat adhuc) Florentiae occubuerit *Horatius Comanini*, qui Pisanae Academiae expensarum calculos scribebat, ut et illarum, quae pro Pisano Vireto Botanico fiebant, scribebatque notiones alias ad Viretum idem spectantes. Illius etenim mortis *Horatii Comanini* occasione autographus evanuit liber, quo talia fuerant perscripta.

ADNOTATIONES AD CAPVT XI.

(*a*) *Cl. Halleri Bibliotheca Botanica &c. Tiguri* 1771. Tomo primo libro VII. *a Bauhinis* ad *Raium pag.*432.

(*b*) *Animadversiones &c. in Theophrasti &c.* Praefatione.

(*c*) *Prodromo della Corografia, e della Topografia della Toscana &c.*

CAPVT XII.

Digitized by Google

CAPVT XII.

DE XII.mo PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO

MATTHAEO PANDOLPHINI

ANno 1626 die mensis Iulii octava supra decimam praelaudatae duae Magnae Duces tutrices Magni Ducis *FERDINANDI II*, florentis tunc aetate annorum sexdecim, quae gravissimas quasque Etrusci Regni Res administrabant prudentissime, elegerunt *Matthaeum Pandolphini* Florentinum Sacerdotem Sodalitatis Franciscanorum, qui *dei Minori Osservanti* nuncupantur, ut Pisano Vireto Botanico Academico, Museo Rerum Naturae, atque Chemico Elaboratorio praeesset. Id patet ex Earum decreto, quod *Leonhardus Accolti* Arretinus, a secretis Regiis, scripsit, et in quo *Matthaei Pandolphini* peritia, atque probitas laudantur, ut et annuum nummorum 268 stipendium declaratur.

Itaque die 17 mensis Augusti celebratus fuit actùs tradendi *Matthaeo* eidem quaeque pertinentia ad Viretum, ad Museum, adque Elaboratorium, a Lycei Notario coram Lycei ipsius Curatore praecelebrato *Hieronymo Sommaia*.

Matthaeus Pandolphini, quemadmodum enunciavimus, celeberrimi Sodalitatis suae Sacerdotis *Salvatoris Scalandronii* Florentini alumnus fuit.

Proxime antecedenti anno 1625 *Dominicus Vigna*, publicus Botanices in Pisano Lyceo Magister, qui Vireto ipsi iam praeerat, verba perhonorifica de *Matthaeo Pandolphini* typis mandaverat (*a*), hic insequentia, nempe: „Hodie inter vivos primum inter Simplicistas locum tenet Adm. R. P. Frater Matthaeus Pandolfini Florentinus, et

et Minorita, qui nuper Viridarii (siti in Coenobio Florentino apud Ecclesiam nominatam *Ogni Santi*) curam diligentissimam habet, quique ipsum pulcherrimis atque exoticis Plantis replere conatur, et fere suum ultimum intentum obtinet „. Pagina autem 27 fatus fuit, nempe „ *Acacia* vera, hodie virens, reperitur Florentiae in Viridario pulcherrimo Adm. R. P. F. Matthaei Pandolfini Florentini, ſic et *Arbor Vitae*, &c., relictis multis aliis pulcherrimis Plantis, quae ad Ipsum existunt „.

Idonei testis huiusce gratia Cuique videri poteſt, se videre a *Matthaeo Pandolphini* redditum quodammodo redivivum Pisanum Viretum Botanicum Academicum, atque Museum Naturae Rerum maiori servatum cura, atque auctum, eo magis etiam quia horum peritissimus, atque *Pandolphini* eiusdem amicissimus, idem *Dominicus Vigna* illis annis Botanicen in Lycei Cathedra docebat, atque Musei Res inluſtrabat.

Quod ad Chemicum Elaboratorium adtinet, sicuti *Matthaeus Pandolphini* curavit, ut internus usus pharmacorum, quae vocantur *Galenica*, interno usui pharmacorum Chemicorum anteferretur, multoque frequentior evaderet, ita Elaboratorium ipsum paullatim faciem induit, naturamque Officinae medicamentorum, neutiquam mutato nomine *Fonderìa*, quo Elaboratorium Chemicum vocari solebat derivato a Latino vocabulo *Fusio*, consonante cum Graeco vocabulo *Chemia*. Tunc *Iulianus II Medices*, qui ab anno 1620 ad annum 1636 Pisarum Archiepiscopus LXXI.^{mus} viguit, et quo Magna Dux *CHRISTINA LOTHARINGIA* Consiliario politico utebatur, „ ne pauperibus aegrotantibus (*b*) medicamenta deessent, dedit operam, *che s' introducesse la Fonderìa* (nempe illa medicamentorum Officina) *nel Giardino de' Semplici, e comprò gli istrumenti d' argento, metallo,*

e pietra, e provvidde gioie, e odori, ed altro con spesa di 400 scudi" sicuti *Paullus Troncius* a *Cl. Matteio* citatus hac super re perscripsit. Quam Officinam *FERDINANDVS II* paucis annis ante mensem Augustum anni 1631 fieri per Pisani Navalis Provisorem *Santi* decoram, instructamque voluit, sicuti docet *Hieronymi Sommaia*, praelaudati Pisanae Academiae Curatoris, epistola ad ipsum Magnum Ducem die 18 mensis illius Augusti data.

Pisano autem aegrotantium pauperum Valetudinario percommoda erat Vireti Botanici, ideoque Officinae eius medicamentorum vicinitas, commodiorque erat Hominibus convalescentibus, qui a Nosocomeio mitti methodice solebant ad dies aliquot ad Domum, Vireto Botanico propiorem, fundatamque anno 1607 cum Ecclesia, atque a *Carolo Antonio Puteo*, qui ab anno 1582 ad illum annum 1607 LXVIII.us Pisarum Pontifex floruit, comprobatam, quemadmodum marmor album quadratum admonet inscriptum, fixumque in publico ipsius Domus pariete.

D. O. M.
OB CONVALESCENTIVM VTILITATEM
CONGREGATIO CLAVORVM
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI
HOC HOSPITALE EREXIT
ECCLESIASTICVM VOLVIT
DECRETO FIRMANDVM STABILIENDVMQ. CVRAVIT
XII KALENDAS NOVEMBRIS MDCVII.
ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. D.
CAROLO ANTONIO PVTEO ARCHIEPISCOPO PISANO
PERHVMANITER COMPROBANTE.

Credendum affatim videtur, *Matthaeum Pandolphini* fuisse optimum ad tria singula adimplenda munera, nempe optimum fuisse Vireti Pisani Botanici Academici, et Musei Rerum Naturae Praefectum, optimumque medi-

ca-

camentorum conditorem; et miseratione praeditum miniſtraſſe Piſanis aegrotis, pauperibus praeſertim, pharmaca.

Annus, quo *Matthaeus Pandolphini* ab hiſce muneribus ceſſaverit, videtur fuiſſe annus 1630. Et quoniam anno 1630 Piſis erat orta miſerrima caedes Peſtilitatis, quae adhuc anno 1633 per ceteras etiam Italiae partes saeviſſime graſſabatur, inferendum videtur, ipſum *Matthaeum Pandolphini* a Peſte interemtum fuiſſe.

Quumque Peſtis Hominum mentes, omniumque fere Rerum ordinem, ac methodum turbet maxime, in proclivi eſt inferre, quod ea de cauſſa diligentes illorum annorum memoriae deſiderentur adeo, ut ipſum praecitatum Cl. *Tognocchium*, Sodalitatis Minoritarum Hiſtoriographum, fugerint notitiae de *Matthaeo Pandolphini*, quem ne nominatum quidem a *Tognocchio* ipſo fuiſſe, mihi ſit adſertum.

„Vſque adeo mortis metus his inceſſerat acer,
„Atque etiam quoſdam cepere oblivia rerum
„Cunctarum, neque ſe poſſent cognoſcere ut ipſi „ (*c*).

Annum autem, quo *Matthaeus Pandolphini* obiit, fuiſſe 1630, indigitat Regium Magni Ducis *FERDINANDI II* decretum, die ſexta menſis Decembris illius anni 1630 prolatum. *Matthaeo* ipſi additus fuerat minor Socius ad munera quidam Frater *Franciſcus* Sodalitatis eiuſdem, ſubque huius precibus *FERDINANDVS* idem ea die ſcribi mandavit verba „ Paghiſi per il tempo, „che ha ſervito, e ſervirà, a ragione di ſcudi dodici il „meſe, e ricordiſi ad altro tempo il biſogno di provve„dere a codeſto luogo „.

ADNOTATIONES AD CAPVT XII.

(*a*) *Animadverſiones &c. in Theophraſt.*

(*b*) *Eccleſiae Piſanae Hiſtoria &c.*, quam Lucae Cl.

Cl. *Felix Matteius* Pistoriensis, e Familia Franciscanorum, qui *Minori Conventuali* appellantur, et publicus Doctissimus Collega meus in Pisana Academia Professor Theologiae, in lucem emisit annis 1768, et 1772. Tomo secundo, pagina 231.

(c) *Lucret.* libro 6.

CAPVT XIII.

Digitized by Google

CAPVT XIII.

DE XIII.° PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO

HYACINTHO MAIDALCHINI

EX adlato mox optimi Etruscarum Gentium Custodis *FERDINANDI II* decreto, scripto Decembri mense anni 1630, certiores quodammodo facti sumus, neminem illo anno 1630 successorem *Matthaeo Pandolphini* in Pisani Vireti Botanici Academici Praefectura creatum fuisse.

Verum anno 1631 ipsa Vireti eiusdem Praefectura conlata fuisse videtur *Hyacintho Maidalchini* nobili Viterbensi, et Dominicano Sacerdoti, sicuti eodem tempore illo Praefectura Musei Rerum Naturae, atque Elaboratorii Chemici, conlata *Philippo del Buono* nobili Florentino, Dominicano itidem Sacerdoti strictioris observantiae, et filio Coenobii Florentini *S. Marci*.

Vtriusque conlationis diploma re vera deest, ob praememoratam verosimiliter confusionem Rerum in Pisanis Civibus a Pestilitate inductam, quae dira lues vitiaverat auras etiam Florentiae, atque in Insubria, aliisque Italiae partibus ita, ut usque ad annum 1634 serpserit.

Ceterum autographa testatio, scripta die 25 Octobris anni 1632 Florentiae, Praefecturam *Maidalchini* indicat perhibens verba: „ Fassi fede per me infrascritto Cancelliere dell' Illustrissimo Signore Sebastiano Cellesi, Auditore di S. A. S., e Sopra Intendente dei Negozi dell' almo Studio di Pisa, come nella filza dei Negozi predetti dell' anno 1632 infra gli altri apparisce l' infrascritto, cioè: *Domenico del Vigna* Fiorentino Semplicista, &c... in assenza, e mancamento dei Custodi del Giardino ha subentrato

più

più volte lui in quella cura con molta diligenza, e questo anno in particolare per l' assenza del Padre *Maidalchini*, certo con gran vigilanza ha fatta assistenza in detto Giardino &c... Giuseppe Barni Cancelliere„.

In Cl. autem *Stephani Fabbrucii* schedis, peritissimi quondam reconditarum etiam notionum, ad Pisanum Lyceum spectantium, leguntur verba „ *Domenico Vigna* 25 Ottobre 1632 per l' assenza del Padre Giacinto Maidalchini Domenicano ebbe scudi 40 per l' assistenza al Giardino, a cui presedeva detto *Maidalchini*, che se ne partì all' improvviso, essendo Provveditore della Vniversità Pisana Monsignore *Girolamo Sommaia* „.

Simillimum veri fit, *Hyacinthum Maidalchini*, Pisis illo modo discessisse maxime metuentem limina leti, seu trepidantem metu Pestis, dubitantemque ne sibi denegaretur facultas abeundi, sicuti abire cupiebat ob vitandam Pestem ipsam, quae Pisis adhuc quotidie Homines plures sternebat, dum alia plura minus laesa,
Pallidaque exangui squallebant Corpora tabo.

Paucitas etiam mensium, quibus *Hyacinthus Maidalchini* Pisano Vireto Botanico Academico praefuit, secunda fuisse videtur caussa, ob quam Scriptores plerosque latuerit *Hyacinthi* Praefectura huiusmodi. Cl. *Targionius Tozzettius*, atque *Rolfincius*, prae ceteris *Maidalchinum* ne nominavere quidem; imo *Rolfincius Philippum del Buono* veluti unum ex Pisani Botanici Praefectis hallucinatus inseruit loco *Maidalchini* in catalogo eorumdem, qui usque ad annum 1670 floruere.

Nullam invenire est in Pisani Lycei Archivo, quod sciam, aliam de *Hyacintho Maidalchini* notitiam.

Historiographus Ordinis Praedicatorum *Echard* etiam, licet eruditissimus, videtur nescivisse Botanicam *Hyacinthi Maidalchini* peritiam, qualiscumque ea fuerit, neque

huius

huius ipsius Viri Praefecturam Pisano Vireto Botanico Academico, dum publica de ipso *Maidalchinio* tardis Nepotibus transmisit verba. „ *F. Hyacinthus Maidalchini* Viterbio, claro stemmate oriundus (*Franciscique* supra laudati, eiusque germani *Francisci* item nominati, et Cardinalis anno 1647 die 7 Octobris ab *Innocentio X* creati, gentilis) Ordinem adolescens in AEde *S. Mariae de Quercu* ad Viterbium ingressus est, ac professus Ingenio feraci fuit ac felici, pluraque scripsit iuvenis varii generis et argumenti non incondito stylo, leviora et profana, ac etiam nonnullas tragoedias, uti *Fontana* narrat inter scriptores Romanae Provinciae, quae an lucem aliquando viderint, vel ubi habeantur, ac serventur, omisit: sed et eum non his modo levioribus occupatum vixisse *Hyacinthum* ait, qui et celebris audiit apud suos, facundusque Ecclesiastes; quo in sacro munere, dum quadragintadiales haberet Panormi conciones, anno Domini 1644 sancto fine quievit ab omni opere, et sermone &c. „

Praedictis duobus super fratribus *Franciscis Maidalchini* obiter adnotandum, ipsos natos fuisse coniugibus *Pacifica Fenciana* et *Andrea* Marchione *Maidalchini*, fratre Celeberrimae *Olympiadis Maidalchini*, quae nupsit *Pamphilo Pamphilio* fratri *Innocentii X*, summi Pontificis ab anno 1644 ad annum 1655, et quae emicuit Romae potentissima.

Autographae duae *Philippi del Buono* preces, ad Magnum Ducem *FERDINANDVM II* missae, quarum altera scripta fuit anno 1638, altera anno 1639, conlationem Musei, et Elaboratorii *Philippo del Buono* aperiunt.

Philippus del Buono in prima e citatis precibus suis, ad Magnum Ducem missis, inter alia exaravit anno 1638, quae hic subdere ducimus, de se ipso verba „ si ritrova al

ser-

servizio della Cuſtodia della Gallería, e della Fondería del Giardino, nella quale non ha mancato, nè manca, di fare più sorti di medicamenti per benefizio della Città di Pisa, diſtribuendone parte ai Poveri &c. „. Altera autem supplicatio anni 1639, cuius gratia libertatem retulit, se habet, nimirum „ Serenissimo Gr. Duca. Fra Filippo del Buono Domenicano Fiorentino, humilissimo Vassallo di V. A. S., avendola servita otto anni e mesi alla Custodia della Gallería del Giardino de' Semplici, e servita la Città di medicamenti per l' amor di Dio ai Poveri secondo le sue forze; ora trovandosi in età di 50. anni compiti, supplica V. A. S. a dargli grata licenza di tornarsene al suo Convento &c., restando obbligatissimo a tenerla raccomandata ne' suoi quotidiani sacrificj &c.„ Doctissimus P. Magister *Moncada* Ordinis eiusdem Praedicatorum, qui in ipso Florentino *S. Marci* Coenobio floret, humanissime mihi significavit, hunc *Philippum del Buono* natum fuisse anno 1589 die quarta Octobris, seque reperisse in inedito illius sui Coenobii libro verba, scilicet „ Anno 1606 *Philippus*, in saeculo *Franciscus*, quondam *Thomae del Buono* (quondam *Nicolai* quondam *Thomae* quondam *Sebastiani* quondam *Thomae*) annorum 17, mensium trium, dierum trium, accepit habitum Clericorum ab admodum R. Patre Priore F. *Philippo Brandolino*, tempore Generalatus Reverendissimi P. Magistri F. *Hieronymi Xavierre* Caesar-Augustani die 7. Ianuarii iuxta Florentinum morem... Supradictus F. *Philippus del Buono*, solemniter revoluto anno probationis suae, professus est die 7 Ianuarii 1607 in manibus R. P. Prioris Conventus Fr. *Philippi Brandolini*„. Significavit itidem mihi, ipsum *Philippum del Buono* anno 1622 Florentiae recognovisse, alios *del Buono* esse ex propria sua Familia.

CAPVT XIV.

Digitized by Google

CAPVT XIV.

DE PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO XIV.°

PETRO DIONYSIO VEGLIA.

TErtio Nonas Novembrias Anni 1634 *Petrus Dionysius Veglia* nobilis Perusinus, Coenobita Sacri Ordinis Servorum *MARIAE*, Sacerdos, ac Magister, et Perusino Coenobio addictus, creatus tunc recens a Magno Etruriae Duce *FERDINANDO II.* Praefectus Pisani Vireti Botanici Academici, stipendio menstruorum nummorum argenteorum 22, assumsit in custodiam quaeque ad Viretum idem pertinebant, sibi tradita a *Iuliano Lupi*, Pisani Gymnasii Notario, atque descripta *Hieronymi Sommaia* iussu, praecelebrati Pisanae Academiae Curatoris, adstantisque huiusmodi actui traditionis.

Publicus tunc temporis in Pisano Lyceo Professor Herbariae *Dominicus Vigna*, qui eo cathedrario munere diligentia continua perfunctus fuit ab anno 1609 ad annum 1647, curam Pisani Vireti eiusdem gessit quarta vice usque ad tertium Novembris illius Anni 1634 diem, in quo discessisse repente Pisis innuimus Coenobitam Dominicanum Sacerdotem *Hyacinthum Maidalchini*, Pestilitate territum, et discessione huiusmodi deposuisse Praefecturam Vireti Botanici, atque exuisse.

Eodem tempore, quo *Petrus Dionysius Veglia* Pisano Vireto Botanico Academico praeerat, praelaudatus alter Coenobita Dominicanus Sacerdos *Philippus del Buono* nobilis Florentinus sustinere pergebat Musei Rerum Naturae Praefecturam, atque Officinae medicamentorum, cuius faciem ac naturam inductas fuisse paullatim ab Elabora-

 torio

Digitized by Google

torio Chemico in maiori parte, pronunciavimus. Quae facies, ac natura ita tamen indutae fuere, ut nihilo minus unus ex pluribus Pharmacopolii locis inſervire Chemicis Processibus peragendis perseveraret, quotiescumque oporteret, libris, insuper ad Praefectorum studia munitus.

Botanica *Petri Dionyſii* doctrina elata fuit ab eodem *Hieronymo Sommaia* Viro doctissimo, in inedita epistola ad Celsissimum *FERDINANDVM II.* perscripta die 27 Decembris Anni illius 1634, quae in Pisani Gymnasii Archivo legitur, et in qua commendatam pariter videre est ipsius *Veglia* peritiam quoque relativam ad Graecum et Hebraicum idiomata, ad Mathesim, atque ad disciplinas alias. Doctrina illa autem Botanica laudata fuit ita, ut sperandum subdiderit idem *Sommaia FERDINANDO II, Petrum Dionysium Vegliam*, Vireti Botanici Praefectum, aptissime inserviturum Vireto eidem Academico, futurumque ornamento Pisanae Academiae.

Praeterea in editis Annalibus Sacri Ordinis Servorum *MARIAE*, tomo tertio, centuria quinta, libro primo, capite XIV, leguntur de *Petro Dionysio Veglia* mox insequentia verba, inter alia, scilicet „ Perfectissime Herbarum, atque Simplicium, vires assequutus, adeo per omnium ora dignis laudibus verſabatur, ut Serenissimus &c. Magnus Dux Etruriae, Viridarium Simplicium &c. Pisis &c., prae ceteris, et quidem pluribus, tum e Germania, tum ex Anglia, tum ex Galliis, tum ex Italia, qui Celsitudini suae se ad id muneris obtulerant, *Dionysium* nostrum praetulerit &c.. Praeter ea, quae de Simplicibus scripserat *Matthiolus*, centenarium aliud Simplicium addidit *Dionysius*, quae nemo adhuc deprehenderat, eorum naturam, qualitates, proprietates, et effectus explicando, nec non docendo, quonam modo, et quo loco oriantur, cuius speciei sint, cuius figurae, cuius colo-

coloris, &c. „.

Paucos post dies ex eo, quo *Petrus Dionysius Veglia* praeesse Pisano Vireto Botanico instituerat, correptus morbo fuit haud ita levi, cuius caussam Ipse tribuit nocturno aëri Vireti eiusdem, eo quod in ipsius Vireti Botanici domo, ad habitationem Praefectorum Vireti aedificata, habitare coeperat. Ideò novam salutem adepto *Petro Dionysio* gravis incessit metus, ne, si in ea perseveraret habitatione, deinde alios subiret morbos. Itaque domum aliam, minus vicinam Vireto Botanico, designavit, quam habitaret in posterum, si *FERDINANDVS II.* daret facultatem sibi, aliter reddituro Praefecturam Vireti, sicuti videtur, si contra denegaretur facultas ipsa. Quoniam vero nocturnis horis quoque in ea Vireti Praefectorum domo habitabat etiam Dominicanus ille *Philippus del Buono* cum Leviro suo pro Musei et Officinae medicamentorum custodia, atque administratione, iccirco *Veglia* ab *FERDINANDO II.* die decima Decembris illius mensis obtinuit, ut ad annos duos in designata domo, viciniaque minus Vireto Botanico, posset noctes transigere, et commorari, dummodo diurnis horis maxima, quam spoponderat, diligentia eidem Vireto Botanico praeesset; obtinuitque a spontanea Humanissimi Magni Ducis munificentia, ut pro ea Domo argenteorum nummorum sexdecim pensio annua a Pisani Lycei aerario erogaretur.

Illa autem *Philippi del Buono* habitatio, contemporanea cum *Petri Dionysii* Praefectura Vireto, *Rolfincium* fefellit facilius, adduxitque, ut minus vere, quemadmodum innuimus, *Philippum* etiam ipsum inter Pisani Vireti Botanici Academici Praefectos describere prope *Vegliam*, nullus dubitaverit senex ille.

Petrus Dionysius Veglia, obtenta permissione illa,

Digitized by Google

atque illo munificentiae incremento, debita gratitudine permotus, eo alacrius die 28 mensis illius Decembris fassus calamo statim inde fuit, se recepisse ea singula, ad Viretum Botanicum spectantia; inde vero accuratissime praefuit Vireto ipsi, conatusque eo magis in dies fuit efficere spectabilius, quoad fieri posset. Confecit insuper Catalogum seminum Plantarum eiusdem Vireti, ad longinquos mittendorum Amicos, qui ea ſemina cum exoticis suis rariorum Plantarum seminibus permutaturi essent, atque ad Viretum Pisanum missuri.

Plura ipse *Veglia* fecit itinera, quibus multa, ad Naturae Historiam quoque, sed praecipue ad Herbariam, pertinentia, congessit.

Denique, nondum absoluto Praefecturae Pisani Vireti Botanici Academici biennio, migravit Pisis ad Superos Idibus mensis Augusti anni 1636, nimirum XVI. post annos, a quibus anno 1620 obierat praelaudatus in superiori pagina 114, sodalis suus Clarissimus, sui Ordinis Servorum *MARIAE* Magister Ex-Generalis, *Laelius Balionus*, Herbaria itidem delectatus.

Hic loci neutiquam omittenda animadversio, scilicet Clarissimum praecitatum Annalium Sacri Ordinis Servorum *MARIAE* Scriptorem proditum aliquatenus fuisse a quibus Ipse notitias de *Petri Dionysii* meritis in Pisanum Lyceum expetierat. Ipsos etenim iuxta Annales „ *Cosmus II. Medices*, Magnus Dux Etruriae, Viridarium Simplicium inſtituere volens Pisis, et in alma illa Vniversitate Lectionem de hac re habendam praecipere &c. *Dionysio* construtionem Viridarii demandarit, qua quidem in re votis suis minime frustratus est„. Verum *Petrus Dionysius Veglia* promotus fuit anno 1634, ideoque promotus fuit non a *COSMA II*, qui obiit anno 1620, sed a *FERDINANDO II.* filio *COSMAE II.*. Praeterea

CO-

COSMAS ipse nequaquam voluit instituere Pisis Viretum Simplicium, quia non modo primum Pisanum Viretum Botanicum Academicum fuit institutum usque anno 1544, sicuti probavimus, et non modo alterum Pisanum Viretum Botanicum Academicum institutum fuit anno 1563, sed etiam tertium, quod hodiernum est, institutum fuit usque anno 1595, atque conditum a *Iosepho Benincasa*, sicuti superius declaravimus, nempe conditum annis 39, antequam *Petrus Dionysius Veglia* evaderet eiusdem Vireti Praefectus. Tertio Lectura, seu Lectio, publica de Simplicibus, ut vocant, instituta fuit pariter usque illo anno 1544. Quarto igitur nec *COSMAS II*, nec *FERDINANDVS II*, demandavit constructionem Pisani Viridarii Botanici Academici *Petro Dionysio Veglia*, qui tantummodo Praefectus, iamdiu conditi, Vireti eiusdem fuit, publicus autem in Pisano Lyceo Lector Botanices non item.

In prima centuria Latinarum Epistolarum *Iohannis Baptiſtae Lauri* Perusini, editarum Perusiae anno 1618, Epiſtola 74 ad *Petrum Dionysium Vegliam* data, edocet, ipsum *Vegliam* Hebraicae linguae consultum fuisse ita, ut Grammaticam Hebraicam methodo nova composuerit; edocetque Sacram Genesim commentatum fuisse, et cum *Iohanne Paullo Veglia* fratre suo Hispaniam, Gallias, atque Germaniae partem perlustrasse.

Aliquas de *Petro Dionysio Veglia* notiones exarasse dictus fuit pereruditus Doctor *Cavalluccius* Perusinus, hausuras fortasse aliquando lucem publicam.

Clarissimis *Linnaeo*, *Seguiero*, et *Hallero*, dum respectivam struerent Bibliothecam Botanicam, typis inde vulgatam, haud innotuisse videtur *Petrus Dionysius, Veglia*, nominatus e contra anno 1754 a Cl. *Targionio Tozzettio* in libro suo Prodromo, in quo ceterum

pagina

Digitized by Google

pagina 120 describitur *Veglia* Pisani Vireti Custos, seu Praefectus, tamquam successor *Iohannis Tellieri*, licet e contra *Tellierus* successerit *Petro Dionysio Veglia* post *Claudium Berigardum*.

Petri Dionysii Veglia effigies, picta ad viventis similitudinem, extat in praecitata Pisani Vireti Botanici Academici domo, pro habitatione Praefectorum Vireti ipsius aedificata, apud Doctissimum *Augelum Atilium Tillium* Nobilem Pisanum, et hodiernum Vireti ipsius Praefectum, publicumque Botanices Professorem.

Ea, quae ad praecitatos Sacri Ordinis Servorum *MARIAE* Annales spectant, nobiscum perhumaniter communicavit Reverendissimus, et longe Eruditissimus, Pater Magiſter *Raymundus Adami* nobilis Pistoriensis, qui Sacri Ordinis eiusdem fuit annis sex Prior Generalis, ut vocant, floretque Praeclarissimus in hoc Pisano Lyceo ad Theologiam Dogmaticam Professor publicus, omnigena doctrina atque eruditione pollens, et qui multa perrara conquisivit, collegitque magnis sumtibus inſtrumenta ad Sapientiam, nempe libros plures aestimabiliores, Idola varia, et Numismatum ac Monetarum series, quibus gazam nummariam constituit.

Opera, a *Petro Dionysio Veglia* edita, fuerunt

I. *Geometria Pratica In Perugia per Annibale Aluigi* 1626. 8. In cuius *Operis* Praefatione adseruit *Veglia*, se vertisse *Clavii* Geometriam, pluribusque ipsam adnotationibus se adauxisse.

II. *Computo Ecclesiaſtico sopra le pieghe, e nodi delle dita. In Perugia per Annibale Aluigi* 1626. 12.

III. *Trattato della dimenſione delle linee rette. In Perugia* 1632 *per Angelo Bartoli*. in 4.

In Perusino ipsorum Servorum *MARIAE* Coenobio, inter Codices manu scriptos *Petri Dionysii Veglia* extant

extant opera inedita.

I. *Supplementi dell' Arte Agrimensoria* in foliis 51 cum figuris, in forma, quae dicitur *in quarto*. Supplementis hisce cohaeret permissio vulgandorum ipsorum, data ab *Henrico Burgo*, qui Ordinis Servorum Prior Generalis creatus fuit anno 1625.

II. *Trattato degli Oriuoli Solari*, folia 66. 4. cum figuris 109.

III. *Commentario sopra il viaggio di Parnasso del Signor Cesare Caporali. Parte prima*. folia 47. 4.

CAPVT XV.

CAPVT XV.

DE XV. PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO

CLAVDIO BERIGARDO.

DEmortuo Pisis *Petro Dionysio Veglia* idibus mensis Augusti anni 1636, *Dominicus Vigna* quinto vices Praefecti Vireti Pisani Botanici Academici gessit usque ad pridie idus Octobres eiusdem anni. Illis etenim idibus Octobriis *Claudius Berigardus*, modo provisionis, ut vocant, renunciatus fuit Praefectus Pisani ipsius Vireti, dum ab annis XI. Philosophiam Ordinariam in Pisano Lyceo docebat stipendio annuorum nummorum argenteorum 250.

Ipse *Claudius*, natus circa annum 1592 in urbe *Moulins*, praecipua Galliarum Provinciae Borbonensis urbe, ibique sortitus cognomen *Beauregard*, se ipsum idiomate Italico nominabat *Claudio Berigardi* in prece autographa, seu obsecratione humili ac supplici, ad Magnum Ducem *FERDINANDVM II.* missa mense Martio anni aerae communis 1637, statim ac Praefecturam Vireti deposuerat.

Natus igitur Molini *Berigardus*, ita adolevit Parisiis, in studia plurimum imcumbens, et inde laurea donatus Apollinari, ut Ipsius sagacitatis et doctrinae fama, quam in Parisiensi Academia sibi comparaverat, permotus *FERDINANDVS II.* anno 1625 contulerit *Berigardo* Pisanam publicam Philosophiae Ordinariae Cathedram. In ea *Berigardus* multa laudatione publica Philosophiam docuit iuxta *Petri Gassendi* praecipue, coaetanei sui, et fere conterranei, placita, qui partem Physices *Epicuri* restauraverat.

Anno

Anno 1632 *Claudius Berigardus* Florentinis typis publicas effecit, a se ipso exaratas „Dubitationes *Galilaei Galilei* Lyncei„ atque in ea perseveravit docere Cathedra per annos duodecim.

Tunc sub interna Pisani Lycei porticu Professores publici, datis diebus atque horis, disputare palam per Academicas exercitationes de Philosophicis thematibus solebant in *Circulis*, eo quod pro utilissimo haberetur talium Disputationum usus. Sed, quum ipse usus praecipue simultates, ac studia Partium gigneret excedentia, fuerunt inde posthabiti Circuli ipsi. *Berigardus* pluties in eiusmodi Circulis Pisanis disputaverat publice, consueta multa argumentorum vi, atque facundia, et suas Disputationes perscripserat, editurus pariter ipsas in lucem aliquando.

Berigardus igitur, utpote Botanices illius etiam scientiae innocentis utiliſſimaeque consultus, praefuit Pisano Vireto Botanico Academico, sed quinque solis mensibus. Praefuit autem tanta cum adprobatione, ut ea de re nummorum sexaginta munere donatus fuerit, decretumque synchrone fuerit ipsi *Berigardo* annuorum nummorum quinquaginta incrementum ordinarii sui nummorum 250 stipendii, quod itaque ad nummos crevit trecentos.

Attamen pro anno scholastico 1637, quum stipendium aliquanto maius in praecitata obsecratione supplici a Magno Duce *FERDINANDO II.* fruſtra expetiisset, et quum sibi suos anteferri Collegas, *Franciscum Segberium*, et *Barptolemaeum Talentonium*, Philosophiae itidem Ordinariae Professores, aegre ferret, ideo ad Patavini Gymnasii Cathedram migravit, invitatus ab eiusdem Gymnasii Moderatoribus usque XIII. Calendas Iunias praecedentis anni 1636 florenis 800, praestitisque

 sibi

ſibi praeterea florenis aliis centum pro itineris expenſis. Et quamvis *Berigardus* in Patavino Gymnaſio locum ſecundum, ſicuti *Facciolatus* narrat, ſeu minorem Philoſophiae Ordinariae locum teneret, tamen *Cotunio* Collegae aequatus fuit, Collegii iure, titulis et commodis omnibus conceſſis, quae loco primo tribui ſolent. Id enim in conditionibus eſſe voluit *Berigardus*, quum oblatum Patavinum docendi munus recepit.

Anno 1643 praecitatas Piſanas Diſputationes ſuas, quae ab eo inſcriptae fuerunt *Circulus Piſanus*, publici iuris fecit Vtinenſibus typis, praemiſſa fronti Operis impreſſione laudati excuſi cupri. Quod Opus adhuc amatoribus legentibus neutiquam caret, etiam quia plures iucunde commixtas continet Digreſſiones, ita ab eo nominatas, ut omitti facile ab indignatis pro lubitu poſſint; fitque ſimillimum veri, ipſum Opus amatum iri analoge ab aliquibus illius etiam pulcherrimae inviſibilis, quae nominatur *Poſteritas*.

Stipendium, quod *Claudio Berigardo* a Patavino Gymnaſio perſolvebatur, anno 1659 crevit ad florenos 1400, quibus anno 1661 VII. calendas Februarias ad Primam Philoſophiae Ordinariae Scholam a Schola ſecunda iure merito promotus fuit, cognomento dictus *Doctor Artium centum*.

Verum anno 1664, circiter annorum 72 aetate, celeberrimae ſuae vitae finem impoſuit Patavii. Ipſius *Berigardi* ſepulchrum in *S. Sophiae* aede, quondam primario Patavii templo, inluſtratum fuit titulo honorificentiſſimo, in quo *Berigardus* dicitur Gallicae luis profligator. Quod epitaphium anno 1702 menſe Februario exſcriptum Celeberrimus *Antonius Franciſcus Marm*: Florentinus, Eques Piſanae Religionis D. *Stephani*, miſit Romam ad Cl. *Iuſtum Fontaninium*, ſicuti videre eſt in

pagina

pagina 305 primi tomi, inscripti *Clarorum Venetorum ad Aatonium Magliabecbium Nonnullosque alios Epistolae*. Extat alterum manu scriptum ipsius epitaphii exemplar plurimos inter Codices mss., qui ex eiusdem Equitis *Marmi* legato Bibliothecae publicae Florentinae *Magliabecbianae* accesserunt.

Aliquot de *Claudio Berigardo* perstrinxerunt calamo etiam *Papadopolus*, *Petrus de Villemandy*, Clariss. *Iohannes Lamius*, *Ladvocatus*, *Daniel Moroſius*, *Morerius*, *Targionius Tozzettius*, Aliique bene multi, a quibus singulis nominandis adamussim supersedendum, veluti a re notissima, ducimus.

CAPUT XVI.

DE XVI.° PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO

IOHANNE TELLIERO.

I*Obannes Tellierus* Gallus, dictus *le Tellier* (doctarum hederas praemia frontium adeptus, quod ad Philosophiam et salutarem Artem pertinet) obsecratus littera supplici fuerat Magnum Ducem *FERDINANDUM II*, ut sibi Praefecturam Pisani Vireti Botanici Academici conferret.

Die vigesimo primo mensis Martii anni 1637 *FERDINANDUS II* (qui doctorum Virorum ex diversis, non solum Italiae, sed etiam ex aliis Europae Regionibus advenientium copiam liberaliter Pisis manere, et ali curavit, imperavitque) *Gherardo Saracini* nobili Senensi, et Pisanae Academiae Curatori, misit supplicem *Tellieri* litteram, ipsique *Gherardo* mandavit, ut super ea notitias sibi describeret. Notitiae autem responsivae, quas *Saracinius* die 23 ipsius Martii Magno Duci significavit, Pisis ea die morato, ita perscriptae sunt, ut *Tellieri* doctrinam patefaciant, atque commendent. Quam ob rem ipsae hic adferendae videntur, se habentes, nempe „ Serenissimo Gran Duca. Dovendo io informare V. A. S. sulla sufficienza del Supplicante, per trattarsi di Persona forastiera, e non conosciuta, le dico, che questa mattina si è fatto comparire nel detto Giardino alla presenza del Signor Auditore Fantoni, e mia, e presenti il Dottore de Castro, il Dottore Celata, il Dottore Ruschi, il Dottore Vigna Lettor de' Semplici, ed il Dottor Berigardo Filosofo, e perito di queste arti, e presenti tre Speziali. Ed essendo il *Tellier* stato interrogato con molte, e varie, interro-

terrogazioni della notizia, figura, e qualità di diverſe Piante, e del tempo di piantarle, e ſeminarle, e delle qualità, e nomi loro, ha riſpoſto improvviſamente con molta cognizione, e ſapere, e da tutti è ſtato ſtimato, che poſſa eſſer molto atto al mantenimento, ed all' augumento del Giardino, ed al ſervizio degli Scolari. Anzi devo ancor dire a V. A. S, che, eſſendo ſtato preſente colla medeſima pretenſione un Frate di S. Franceſco, e ſentendo il valore del *Tellier*, ſi è ritirato, cedendogli volentieri il luogo &c.„

Illa eadem die 23 Martii anni 1636 *FERDINANDI II* iuſſu, ac nomine, *Perſius Falconcini* nobilis Volaterranus, et a ſanctioribus ſecretis Regiis, inſequentia hic proxime ſcripſit verba „ S. A. elegge il Supplicante per la ſovritendenza al Giardino con provviſione di ſcudi ſedici il meſe, e con tutti gli altri onori, e comodi, peſi, e incomodi, che ſi teneva dal Padre Veglia. E Monſignore Saracini, Provveditore dello Studio, faccia che ſia riconoſciuto ed ubbidito per tale da chi biſogna, e che al ſuo tempo gli ſiano pagate prontamente le ſue provviſioni, dovendo per ciò da queſto giorno ceſſare la ſoprintendenza del Dottore Berigardi, dataſigli per modo di provviſione„.

Anno 1637 die 26 Martii *Tellierus* ideo obtinuit praeterea, ut ab Piſani Lycei aerario ſibi perſolveretur annua penſio pro Domo, qua *Petro Dionyſius Veglia* fruitus fuerat.

Anno 1638 die 20 Aprilis annuorum nummorum 48 incrementum retulit *Tellierus*, utpote qui eo maiora in dies Botanicae doctrinae, ſollicitudinis, ac fidei, ſpecimina prae ſe tuliſſet.

Anno 1639 quinto Calendas Februarias Magnus Dux *FERDINANDVS II*, Dominicano praememorato

Phi-

Philippo del Buono (Praefecto Musei Rerum Naturae, et Officinae Medicamentorum, et Instrumentorum Chemiae, usque ab anno 1631) missionem, expetitam ab ipso *Philippo*, concessit his verbis „Concedeſegli la domandata licenza, con che restituisca per inventario gli effetti della Gallerìa, e della Fonderìa, al Dottore *Giovanni Tellier* Semplicista, che si elegge in luogo del Supplicante &c.„. Primis igitur Februarii illius diebus *Iohannes Tellierus*, qui Praefectura tantummodo Pisani Vireti Botanici Academici fungebatur, accepit quoque sibi tradita ea quaeque ad Museum, et Officinam medicamentorum, Chemicique Elaboratorii reliquias spectabant, a praelaudato *Philippo del Buono*, quorum omnium accuratum videre licet catalogum.

Eodem anno 1639 die 29 Septembris *Iohannes Tellierus* donatus fuit augmine aliorum nummorum quinque menstruorum, quibus stipendium annuum ad nummos crevit trecentos.

Recensitis mox tribus Praefecturis *Tellierus* diligentissime perfunctus fuit usque ad pridie Calendas Iunias anni 1641, quibus cessavit a singulis ex ipsis.

Quum nullum Opus, quod sciam, typis ediderit *Tellierus*, ideo a perpaucis Scriptoribus nominatus fuit.

CAPVT XVII.

CAPVT XVII.

DE PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO XVII.°

THOMA BELLVCCI.

Tandem aliquando, post frequentem brevitatem Praefecturae tot antecedentium Virorum Pisani Vireti Botanici Academici, Praefectura eiusmodi, quae contigit *Thomae Bellucci* nobili Pistoriensi, triginta supra unum annis duravit, ideoque accommodatior esse potuit Vireti ipsius conditionibus ita, ut eo magis potiores redderentur.

Thomas Bellucci (Philosophiae ac Medicinae lauro coronatus a Medico Pisani Lycei Collegio die decima Iunii anni 1640 per *Iohannem Baptistam de Ruschis* Civem Pisanûm, publicumque Anatomes in Pisana Academia Professorem Ordinarium) praeesse Calendis Iuniis anni 1641 incepit Pisano Vireto Botanico Academico et Museo Rerum Naturae, atque praeesse Officinae Medicamentorum coniunctae praedicto Elaboratorio Chemico, ducentis fere nummis annuis pro stipendio adsignatis.

Tres huiusmodi Praefecturae conlatae fuerunt *Thomae Belluccio* die 23 mensis Maii proximis hic Regiis Doctissimi et Magni Ducis *FERDINANDI II* (qui incredibili erga Naturae Historiam, praesertim Botanices, et Pharmacorum scientiae amore rapiebatur) verbis,, Eleggesi il Supplicante per Semplicista del Giardino di Pisa in luogo del Tellier &c. con obbligo di assistere, e servire al Giardino, e tener viva la Fonderìa, e custodire la Galleria, con la dovuta diligenza, e con tutti gli altri pesi, onori, e prerogative delle tre cariche sopradette,,.

Quae ob Regia verba, nobilis Senensis *Nicolaus Fan-*

toni

Google

toni Ricci, Iurisconsultus Auditor a sanctioribus secretis eiusdem Magni Ducis, et Pisanae Academiae Moderator, sexto Calendas ipsas Iunias anni 1641 eiusdem scripsit ad *Gherardum Saracini*, praelaudatum Academiae Pisanae Curatorem, videlicet „ Piaccia a V. S. Illustrissima di fargli dare l' esecuzione, e mettere in possesso il detto Sig. *Bellucci*, che sarà il latore della presente, di dette cariche, e così, che il Sig. Dott. Gio. Tellier, che alla fine di questo mese di Maggio deve lasciare le dette cariche, gli consegni le chiavi del detto Giardino, e della casa, e della detta Fonderìa, e Gallerìa, rendendogli per inventario tutto quello, che fu consegnato a lui per servizio di dette cariche; e particolarmente in quanto alla Fonderìa si veda con ogni diligenza quel, che ricevè, e quello, che avrà reso &c. „.

Anno 1644 in Regia, quotannis fieri solita, Sessione decernente negotia, ad Pisanum Lyceum spectantia, fuit inter cetera scriptum „ Confermasi nel Giardino, e Fonderìa, e Muſeo, il Signor Bellucci a beneplacito di S A. S.„ Qua eadem Seſſione mandatae fuerunt, atque exaratae providissimae novae leges XIII, relativae ad Piſani Vireti Botanici eiusdem, et Officinae Medicamentorum cum Chemici Elaboratorii reliquia administrationem, ex decima e quibus legibus adparet, eliciturque, Officinam ipsam incoepisse tunc iam paullo ante minus frequenter exerceri.

Vicenos inter Pisani Collegii Medici Academici Doctores interfuit *Thomas Bellucci* die prima mensis Maii anni 1647, quum futurus maximus Historiae Naturae cultor, et plurimarum Botanicarum Observationum auctor, *Franciscus Redius* meritissima Philosophiae et Medicinae lauro decoratus fuit.

Anno 1648 die 19 Octobris *Belluccius* aliorum C. nummo-

morum acceſsione annua creatus fuit publicus Herbariae Profeſſor Cathedrarius in Piſano Lyceo, paullo poſt *Dominici Vigna* obitum, verbis huc adferendis „ Promove S. A. il Dottor Bellucci alla Lezione de' Semplici colla Provviſione di ſcudi cento, e con obbligo della Fonderìa „. Quam Medicamentorum Officinam narravimus ſitam fuiſſe intra Piſanum Viretum Botanicum Academicum, eamque fuiſſe primo Chemicum Elaboratorium tantummodo.

Anno 1656, Piſano more computati, nempe anno communis aerae 1655, *Thomas Bellucci* quinto etiam munere publico perfungi, ſcilicet etiam Anatomen in Piſano Athenaeo docere publice, haud renuit; eaque de cauſſa aliorum ſexaginta nummorum remuneratione gaviſus fuit. Qua ſuper *Bellucci* extraordinaria Anatomes Lectura publica videre eſt pariter epiſtolam *Philippi Magalotti* Patricii Florentini, et Piſanae Academiae Curatoris, perſcriptam ad Doctiſſimum Principem *LEOPOLDVM MEDICEM* Piſis die 20 menſis Martii anni illius, et typis editam (*a*) a Praeclariſſimo hodierno eiuſdem Academiae Curatore *Angelo Fabronio*, Auctore laudatiſſimo plurium Operum, doctrina eruditione atque animadverſionibus plenorum, latinoque nitore exaratorum. In ea epiſtola habentur prae ceteris verba, nempe „ Ebbero principio ſino da lunedì paſſato, dopo deſinare, le Lezioni della Notomia con frequenza grande al ſolito, e maggiore talvolta del conſueto, per quanto mi dicono, così perchè già da molto tempo non se n' erano fatte, come forſe per curioſità ancora di ſentire il nuovo Profeſſore *pro interim* il Signor Dottore *Bellucci*. Ha Egli cominciato con buon cuore, dimoſtrando ancora di non avere perdonato a fatica per riuſcir bene &c. „. Cui publico *Belluciano* Anatomes magiſterio ſucceſsit anno proxime

insequenti *Carolus Fracassati* Bononiensis, cuius gratia *Marcellus Malpighius*, popularis suus, et alterum illud maximum Historiae Naturae, et Medicae Scientiae sidus, tribus annis 1657, 1658, et 1659 Pisanam Cathedram medicam conscendit.

Anno 1658, *Thoma Belluccio* pariter insinuante, providus et beneficus idem Magnus Dux *FERDINANDVS II*, adsuetus maximis ad Historiae Naturae inventa augenda dispendiis, in Orientalem Indiam tres misit doctos Homines, Medicum, Pharmacopolam, atque Pictorem, ut certas Plantarum species Regionum illarum invenirent, et in Etruriam transferrent; eas vero, quae translationi minus aptae essent, Pictor coloribus Naturae respondentibus repraesentaret, dum florerent, ut in Etruria praecipue ipsarum Plantarum status integer, a radice ad florem inclusive, innotesceret.

Anno 1661, circa quem Herbariae studium in Europa laetius increscere incipiebat, *Thomas Bellucci* idem studium propagans, atque excolens fervidissime, ut etiam sollicitudinibus *FERDINANDI II* hac super re velificaretur, augmen retulit annuorum nummorum quadraginta, seu ipsorum accessionem stipendio suo annuo, die eadem, qua sublimis ille *Iohan. Alphonsus Borelli* nummorum totidem incrementum obtinuit.

Anno 1662, Regiis eiusmodi munificentiis excitatus, *Belluccius* eo maiorem diligentiam atque operam in muneribus impendebat, composuitque Catalogum Plantarum, quae tunc in Pisano Vireto Botanico Academico vigebant, et eum luce publica donavit (*b*), sapientissimo dicatum Principi *LEOPOLDO MEDICEO*, cuius liberalitatem sensit, et qui solos rara doctrina praeditos Viros favore suo iuvabat. Illius autem Catalogi memoriam tradiderunt litteris Viri plures Clarissimi *Linnaeus* anno

1730

1736 (*c*), *Segnierus* anno 1740 (*d*), *Hallerus* anno 1751 (*e*), *Franciscus Antonius Zaccaria* anno 1752 (*f*), *Targionius Tozzettius* anno 1748 (*g*), et anno 1754 (*h*), anno vero 1764 *Antonius Matani* (*i*), qui doctissimus in hoc Pisano Gymnasio publicus Medicinae Professor mihi significavit, *Thomae Belluccii* popularis sui uxorem fuisse *Portiam Galantini* Lucensem.

Anno 1671 die decima Decembris dono alio nummorum quadraginta annuorum largitus fuit *Thomam Belluccium*, novissimus tunc Magnus Dux, *COSMAS III*, qui et ipse Plantarum cognitione in primis delectatus, favorem investigationi Rerum Naturae praesertim, non secus ac *FERDINANDVS II* pater fecerat, impertivit,, (*l*) Plantas eas undique conquisitas, et ab extremis Terrarum oris advectas in Hortum Pisanum importavit, et inter Botanicos suos habuit etiam *Philippum Donninium*, ac *Paullum Bocconem* (*m*), diligentissimos Rerum Naturae indagatores. Quin ut Rei Herbariae scientiam amplius promoveret, diversis temporibus *Antonium Morinium*, et *Angelum Ianettium* Amstelodamum misit, ut in Horto Pisano Herbarum culturam absolutam addiscerent, et rarissimas Plantas in Etruriam secum deferrent ,,. *Memorabilia Italorum &c.* tom. I. pag. 172.

Anno tandem 1672, Curatore Pisani Lycei *Felice Marchetti* Nobili Pistoriensi, *Thomas Bellucci* circa vigesimam mensis Aprilis diem Pisis obiit, peractis per annos triginta supra unum Magisterio publico, et Praefecturis, quas memoravimus.

Post paucos a *Bellucci* obitu dies, magnus Naturae perscrutator, *Nicolaus Steno* (*n*) singulas Naturae Res (quas in Pisani Vireti Botanici Academici Museo invenit) descripsit (*o*), subscripsitque die mensis Maii septimo, eoque ipso mense in Daniam suam, a suo Daniae Rege

renunciatus Profeſſor Anatomes, rediit, rarioribus aliquot Pisani ipsius Musei Rebus Naturae in Florentinum Regium Museum, tunc recenter inſtitutum, translatis. Cui Museo plura addidit, conlecta a se ipso, qui regnorum (praecipue mineralis, ut vocant, atque animalis) qualitates contemplari sciebat apprime, et qui, notatis coagulis, animalibus, aliisque materiis contentis intra montanam crystallum praecipue, ibique manentibus velut in carcere, instituit *de Solido intra Solidum naturaliter contento* perscribere vastam Dissertationem suam, cuius prodromum librum tantummodo edidit.

Multoties praecitatus scriptor *Guernerus Rolfincius* anno 1670, nominavit (*p*) *Thomam Belluccium* nostrum in fine sui Indicis Praefectorum Pisani ipsius Vireti, et publicorum in Pisano Lyceo Professorum Botanices. Ipse *Thomas* summis ingenio, atque arte, iucundissimas Naturae productiones inspicere et ipse solebat, earumque intimam ideo cognitionem haud obviam sibi comparaverat, tum et culturae Herbarum quarumvis, aliarumque Naturae Rerum et Medicamentorum ita, ut hisce de rationibus a *FERDINANDO II*, huiusque duobus Fratribus Principibus, dein Purpuratis Romanis, *IOHANNE CAROLO*, et *LEOPOLDO*, atque a *COSMA III*, sapientissimis singulis, magni factus fuerit.

Accedit quod *Thomas Bellucci* scientificas illas suas dignitates agitaverit Pisis per ea tempora, quibus ibidem uberior erat sagaciorum ingeniorum copia. Insignes enim morabantur Pisis Philosophi Viri plures, inlustresque alii scientiarum amatores, praeditique alii rarioribus doctrinis, e quibus Viris innuere sufficeret percelebratae illius Academiae Sodales, nominatae *del Cimento*. Super ea Academia, ipsiusque aliquot Sodalibus (e quibus plerique Pisis hyemem transigere solebant, ideoque pericula physica

ca

Digitized by Google

ca Pisis etiam facere) paucas nonnullas, fortasse novas, animadversiones, neque prorsus inutiles, in huius libri Appendice expositurí sumus, sicuti in nostra quodammodo spopondimus Praefatione.

ADNOTATIONES AD CAPVT XVII.

(*a*) Paginis 89, et 90, primi tomi Operis, inscripti *Lettere Inedite di Uomini Illustri. In Firenze*. 1773.

(*b*) Florentiae eum Catalogum edidit *Thomas Bellucci* cum Appendice Doctoris Medici *Angeli Donninii* oriundi di Pistorio, et Praefecti Florentino Regio Botanico Vireto ab anno 1654 usque ab annum 1668, cuius *Angeli* fratres duo *Ferdinandus*, et *Philippus*, *Donninii* erant itidem Botanicae scientiae consultissimi, aliisque Regiis Florentiae Viretis Praefecti fuerunt. Cl. *Targionius Tozzettius*, numquam satis laudatus, in sua celeberrima Praefatione ad *Cl. Petri Antonii Michelii Catalogum*, doctissimaque, narravit, *Angelum Donninium* edidisse typis illo anno 1662 Catalogum Plantarum, Florentinos Hortos ornantium, instar Appendicis ad *Thomae Belluccii* Catalogum Plantarum Horti Pisani; addiditque verba, scilicet „ In infelicibus hisce Catalogis Plantas plures, ab aliis Botanicis illatenus non descriptas, primi quidem *Belluccius*, et *Donninius* indicarunt, sed genericis vel brevissimis tantummodo nominibus adeo, ut arduum modo sit in immenso Plantarum cognitarum numero eas expiscari. Si autem exactam ipsarum descriptionem subiungere, vel saltem praecipuas differentias nomine, seu difinitione, includere non detrectassent, libellus ille utilitatem aliquam nobis adferret, et Ipsi inventorum gloria non parum inclaruissent „.

(*c*) *Linnaei Bibliotheca Botanica &c. Amstelodami*. 1736. 8.

(*d*)

Digitized by Google

(*d*) *Seguier. Bibliotheca Botanica &c. Hagae Comitum.* 1740 4.

(*e*) *Haller* in primo tomo inscripto *Accessiones ad Methodum Studii Medici Boërhaave* &c., inde in tomo primo, cui titulus *Bibliotheca Botanica* &c. Tiguri 1773 pagina 514. § DXCV, qua nimis brevis *Belluccii* Catalogus dicitur.

(*f*) *Fr. Ant. Zaccarìa Bibliotheca Pistoriensis. Augustae Taurinorum &c.*

(*g*) In adducto praecitatae Praefationis loco.

(*h*) Idem Cl. *Targionius* in suo libro *Prodromo &c.*

(*i*) *De Philosophicis Pistoriens. Stud. Augustae.* 1762.

(*l*) *Memorabilia Italorum Eruditione praestantium, quibus &c.* Ioh. Lamius &c. in primo tomo.

(*m*) Munificentiam *FERDINANDI II*, et *COSMAE III*, tum sensit etiam *Paullus Bocconius* praecitatus, celeber Naturae Rerum indagator, qui rariorum Plantarum descriptiones, atque observationes super plurium Rerum Naturam conscripsit, aliosque libros Regio nomini *COSMAE III* dedicatos. Qui *Bocconius* ab illo *Angelo Donninio* laudatus, iuvatusque, diu in Etruria, ferme tota a se ipso perlustrata, vixit Botanici Regii titulo decoratus, et in Epistola ad Studiosos Rei Herbariae (impressa in calce Catalogi seminum Plantarum anni 1668) se Pisis Magno Duci inservisse adserit, et insita Amicorum suorum humanitate animi, ac liberalitate, insignitum fuisse laurea Botanici Magni Ducis Etruriae. Dein Monachus Cisterciensis *Sylvii* nomen adsumsit, et in Florentino Monasterio rariorum Plantarum Museum confecit, ibique anno 1684 peculiare Viretum condiderat Plantarum, a se conquisitarum „ Vid. id. *Targion.* et *Eloy.*

(*n*) *Stenonis* vitam, eiusque Viri Operum singularum analysim accuratissimam, typis vulgavit in quinta De-

Decade, cui titulus *Vitae Italorum Doctrina Excellentium*, Praeclarissimus *Angelus Fabronius*, Equestris Ordinis Stephaniani Pisarum Eques XIIVir Consiliarius, Ecclesiae Conventualis Ordinis eiusdem Praesul, Academiae Pisanae Curator optimus, et doctissimorum plurium aliorum Operum editorum Auctor litteratissimus.

(*o*) In libri inediti, qui in Archivo Pisani Lycei servatur, continetque descripta Repertoria, et Actus Traditionum (vulgo *Consegne*) Pisani Vireti Botanici Academici, Musei, et Officinae Medicamentorum, pagina 46 leguntur verba, nempe „ Inventario, fatto dal Signore *Stenone*, delle cose Naturali, che sono negli Scafali, e sopra il Cornicione, e sulla Panca nella facciata, volta a Arno &c. „. Sub illius descriptionis finem leguntur alia: „ Avendo io qui sottoscritto avuto ordine dal Serenissimo Sig. Cardinale di levare dalla Gallerìa di Pisa certe curiosità per la Gallerìa, che ſi comincia a Firenze, ne ho levato il seguente numero &c. „. Inde pagina 52. scripta leguntur alia verba, scilicet „ Dopo levate le sopradette cose, ho ordinate quelle, che stavano sopra il Cornicione, negli Scafali, e sulla Panca, in quella conformità, che sono registrate 5. 39.. Non ho specificate le cose contenute negli Scafali, come nè anco quelle, che io ne ho levate, per non avere trovata specificazione nei Cataloghi precedenti. Ho però fatto un Catalogo particolare delle cose levate, il quale io ho reso al Sig. Cardinale. In fede dello sopraccennate particolarità ho ordine dal detto Serenissimo Signor Cardinale di sottoscrivere queſto, conforme fo a dì 7. di Maggio 1672 in Firenze —

Niccolò Stenone „.

(*p*) *Rolfincius De Vegetabilibus &c. Ienae*. 1670. 4.;

CAPVT XVIII.

CAPVT XVIII.

DE XVIII.° PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO

PETRO NATI.

NAtorum Familia e *Bibiena*, Oppido satis nobili in Florentina ditione sito ad Arnum, et quatuor millibus passuum dissito a *Puppio* Clusentinae Provinciae principe, sapientes Homines haud raro tulit, AEsculapio etiam in primis, atque Hygiae, sacros.

Petrus Nati II (filius *Laurentii*, orti ex *Petro I* Bibienensi, et Archiatro Magni Ducis *COSMAE* I) natus anno 1538, inde Pisis anno 1565 cinctus comam lauro Physica et Medica, quum per spatium XL annorum Medicinam Florentiae non sine laude exercuisset, et *Alexandram Capponiam* uxorem dilectam duxisset, et ex ea filios suscepisset, atque stabilivisset Florentiae, ibidem obiit anno Domini MDCXII, annum agens 74.

Petrus Nati III, de quo hic loci praecipua facienda verba, fuit ortus ex *Francisco* illius *Petri II* filio, Iurisconsulto Rotae Florentinae Auditore, emortuo inde anno 1627. Huius vero *Petri Nati III* nepos, atque Medicus expertissimus Florentinus, anno 1732 Labronem missus fuit a Magno Duce *IOHANNE GASTONE MEDICEO*, ut inclitum *CAROLVM BORBONIVM*, tunc Regium Hispaniarum Infantem, nunc earumdem Maximum Regem, variolis illo anno Labrone decumbentem, curaret, sicuti re vera tantum Principem *BORBONIVM* incolumem reddidit, in medelam sibi consociatis duobus aliis Medicis doctissimis *Michaële Angelo Tillio*, atque Ordinario tanti Principis Regii Archiatro *Bonocore* Neapo-

po-

politano.

Iohannes Franciscus Seguier (*a*), haud claram *Bibienae* oppidi ideam adsequutus, nominavit *Forovibiensem* patria nostrum *Petrum Nati III*, visus nescire, Forum Vibum a geographicis Scriptoribus, ut *Cluverio*, aliisque, descriptum inter Augustam Taurinorum et fontes Padi fuisse: visus etiam, numquam legisse *Iosephum Mannuccium* (*b*).

Petrus Nati III, ortus circa annum 1625, et iuvenili aetate primis studiis accurate excultis usque ad annum 1645, a Magni Ducis *FERDINANDI* II munificentia impetravit locum Pisani Ducalis Collegii, quod *la Sapienza* nominatur, et in quo iugiter XL Iuvenes ingenuos, Lyceo publico operam dantes, scholasticis sex annis ali gratis datur. In eo Collegio annis 1644, 1645, 1646, 1647, 1648, et 1649 altus itaque, disciplinis praecipue Philosophiae, et Medicinae incubuit, atque Herbariae e ceteris Historiae Naturae partibus, usus Magistris *Dominico Vigna*, atque *Thoma Belluccio*, aliisque potioribus praedictarum disciplinarum Institutoribus, atque usus consuetudine condiscipuli super ceteros *Francisci Redii*, cuius immortalis doctrina emersura aliquando erat.

Petrus Nati III, strenue sic emenso utiliorum eiusmodi studiorum curriculo in Pisana Academia, tandem fuit Philosophica et Medica Lauro cinctus circum sua tempora Pisis die decima Iunii anni 1649 a Medico Pisani Lycei Collegio per illum *Iohannem Baptistam Rusca* Civem Nobilem Pisanum, atque publicum Anatomes Professorem Ordinarium, qui anno 1640 magno alteri Cultori Historiae Naturae *Thomae Bellucc.o* Pistoriensi praecelebrato similem Phoebeam coronam contulerat.

Petrus Nati III. Florentiam inde eo anno 1649 migravit, suam Civitatis Patriam, qua Clinicen eo magis

perdidicit, agitavitque, et Historiae Naturae studio, sed Botanices potissimum, incubuit in Regio illo praesertim Botanico ad Divi *Marci*, et ad stabula Vireto, ex quo adeo luculenta successivis annis specimina Botanicae suae haud vulgaris doctrinae hausit, praebuitque, admirantibus, probantibusque doctissimis Magno Duce *FERDINANDO II*, et huius duobus fratribus Principibus, Purpuratis successive Romanis, *IOHANNE CAROLO*, ac *LEOPOLDO*, atque tunc Principe Iuventutis *COSMA*.. Multas ibi Phytologicas Observationes egit, descripsitque, et rariorum pulchriorumque Plantarum, quae in Regio illo Vireto educabantur, figuras cupro excudi partim curavit. Quarum figurarum tabulas aeneas oculis usurpavit etiam florentissimus Vir Cl. *Targionius Tozzettius* (*c*), utpote quas, in unum volumen compactas, possidebat celeberrimus Botanicus Florentinus *Michelius*, qui ipsas demum transtulit in usum libri sui, inscripti *Nova Plantarum Genera*.

Vsque anni 1667 initio *Franciscus Redius*, Magni Ducis *FERDINADI II* iam tunc Archiater, optimam de *Petri Nati III*, condiscipuli Pisani quondam sui, doctrina opinionem calamo patefecit, sicuti videre est in editis ipsius *Redii* Epistolis (*d*).

Anno 1672 decorae tandem, atque commodissimae conlocationis dies illuxit *Petro* eidem, quum *Thomas Bellucci* obiisset Pisis praedicto Aprili mense. Ipse *Petrus* illo anno die 23 mensis Maii a Benefico *COSMA III* Magno Duce (qui pluribus Viretis elegantissimis et Hortis, raritate Plantarum, suavitate Florum, atque omnigenis Pomonae deliciis ex Regione quavis, ut ita dicam, adscitis delectabatur, et qui aliorum etiam doctorum Botanicorum Virorum opera utebatur) creatus fuit successor *Belluccio* in Botanica Pisana Cathedra Historiae Naturae, praesertim Herbariae, et in Praefectura tum

Pisani

Digitized by Google

Pisani Vireti Botanici Academici, tum Musei Rerum Naturae, tum Officinae medicamentorum, continentis etiam Elaboratorii Chemici reliquias. Ea die ab *Andrea Becci*, Pisanae Academiae Notario, traditae *Petro Nati III* fuere claves, ceteraque singula instrumenta a Praefecturis huiusmodi dependentia. Idibus vero Octobriis illius anni 1672 in solemni Regia anniversaria Sessione, ea nimirum, quae pro scholastico anno 1673 de Lycei Pisani Rebus egit, conlata eidem fuerunt *Petro* cum annuorum 336 nummorum stipendio praememorata singula quatuor munera.

Anno 1674 *Petrus Nati III* ipse propriam Florentinis typis vulgavit Phytologicam Observationem *De Malo limonia-citrata-aurantia*, vulgo dicta *la Bizzarla* (*e*). Quae Arbor (*f*) de hybridum genere, de speciebus trium Malorum aureorum aliquid habet in foliis, et fructu, et cuius triplex est praeterea varietas, Aurantium Pomum, et Limon citratus, et fructus, qui ex tribus Pomis aureis aliquid retinet. Ea autem *Petri Nati III* Observatio in Anglicam versa fuit linguam, atque in Actis Londinensis Societatis sub numero 114 edita.

Quum vero trium primorum annorum decursu idem *Petrus* singulis muneribus suis eo modo satisfecisset, et Chemicas etiam Praelectiones publicas tradidisset, ideo *COSMAS III.* Octobri mense anni 1675 *Petrum Nati III* solemni adprobatione prosequutus fuit.

Exaratio Opusculi, sive Sermonis, *Intorno alla Natura del Pepone, e sopra il cattivo uso del bere fresco il vino con la neve*, tributa fuit *Petro Nati III*. Verum id Opusculum exaratum fuit, editumque primis typis Florentiae a praelaudato *Petro Nati II* usque anno 1576 per *Georgium Marescotti*. Qui annus 1576 ideo pro anno 1676 habitus, et confusus ab Aliquibus fuit.

Petrus noster descripsit etiam proprias alias Observationes, nimirum de Quercus Fungo, seu Agarico, quem vocant *vermicolato*.

Ceterum quod ad Pisanum Viretum Botanicum Academicum spectat, ipsi praeerat *Petrus III* ipse ita, ut ad summum nitorem, eo maiorem in dies, illud efferret, exoticis etiam Plantis saepe saepius in id Viretum translatis eo facilius, quum iam a quindecim tunc annis circiter Botanice, veluti rediviva, recepisset laeta incrementa, „splendidissimis (*g*) et pulcherrimis aucta Operibus, praesertim ea parte, quae ad hortenses et peregrinas Plantas pertinet, sumtibus et auspiciis *Henrici van Rheede van Drachenstein*, Senatoris Indiae, et in regna Societatis Orientalis cum summa potestate missi„. Hinc *COSMAS III*, continuo munificus, peculiarem *Petri Nati III* habilitatem, adsiduamque curam eo magis in dies probans, ipsum non modo Octobri mense anni 1678 novo favore prosequutus fuit, verum etiam inde anno 1681 ultro eumdem *Petrum* adprobavit pariter 30 annuorum nummorum augmine.

Verum denique crudelissima captus, atque conflictatus caecitate, *Petrus Nati* III honestam missionem retulit, ideoque reddidit Pisani Lycei Notario pridie Idus Decembres anni aerae communis 1685 claves, et quaeque alia sibi tradita fuerant anno 1672, pertinentia ad Pisanum Viretum Botanicum Academicum, ad Rerum Naturae Museum, atque alia bene multa, quibus Officina medicamentorum, contentumque in ipsa Elaboratorium Chemicum, muniebantur, ut et Domus, quam habitabat.

Scriptum huc usque in hoc Commentario fuit de Viris, nisi valde a nostrorum temporum memoria semotis, saltem eorum, quorum paucae ut plurimum memoriae

moriae fuerunt perscriptae aetate, quae minus accuratos, sollicitosve, in Rebus describendis, notandisque, Scriptores tulit.

Quod vero ad illos Rei criticae Vindices pertinet, qui ita morosi sunt, ut nihil rectum, nisi quod suis opinionibus consonet, putant, eorumdem fastidium non sane plurimi faciendum est, neque Ipsis scribitur, sed Iis unice, qui cum sano iudicio humanitatis, atque comitatis doctrinam, coniungunt.

ADNOTATIONES AD CAPVT XVIII.

(*a*) *Seguier Bibliotheca Botanica &c.* pagina 129.

(*b*) *Giuseppe Mannucci da Poppi Aggiunta alla prima Parte delle Glorie del Clusentino. In Firenze.* 1687. in 4. et quartum tomum primae *Calogerianae Raccolta di Opusculi Scientifici &c.*, in cuius ceterum tomi pagina 416 legitur error prae ceteris genealogicus, silicet *Petrum Nati IV*, qui anno 1730 florebat, ortum fuisse ab eo *Francisco*, qui obiit anno 1627.

(*c*) Praefatione Celeberrima, pagina 40.

(*d*) Tomi secundi paginis 43, &c., editionis Florentiae *Manni* 1727.

(*e*) De huius Mali natura, et viribus, annos post sexaginta a *Petri Nati* III Opere, nimirum anno 1734, *Iohannes Dominicus Civinini* Medicus Florentinus suam Dissertationem emisir in publicam lucem.

(*f*) *Haller Bibliotheca Botanica &c.* §. DCLXXIX.

(*g*) Idem ibidem § DCCI.

CAPVT XIX.

Digitized by Google

CAPVT XIX.

DE XIX.° PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO

MICHAËLE ANGELO TILLI.

CLariſsimus *Michaël Angelus Tilli* Praefectura Pisani Vireti Botanici Academici, et publica Rei Herbariae Cathedra inclaruit diuturno annorum 55 spatio, nimirum ab anno 1685 usque ad annum 1740, quo obiit. Die 24 Octobris anni illius 1685 Magnus Dux *COSMAS* III scribi mandavit verba „ Alla Lettura dei Semplici, e Custodia del Giardino S. A. R. elegge M. Michele Angelo Tilli da Castel Fiorentino con scudi dugento dei trecento sessantasei, che gode M. *Pietro Nati*, a cui S. A. vuole, che rimanga quello, che avanza di detti scudi 366„.

Praeclariſsimus *Angelus Fabronius* Patricius Pistoriensis, incliti Equestris Ordinis Stephaniani Pisarum Eques XIIVir Consiliarius, et Ecclesiae Conventualis eiusdem Ordinis Prior Mitratus ac Praesul, atque Gymnasii Pisani Curator, pluriumque doctiſsimorum Operum in lucem editorum Auctor cultiſsimus, completam *Michaëlis Angeli Tilli* vitam composuit, ac publici iuris fecit anno 1775 in quinta ex Decadibus suis, inscriptis *Vitae Italorum Doctrina Excellentium*, atque exaratis consueta sua sapientiae plenitudine. Quum eiusmodi Vita *Michaëlis Angeli Tilli* neutiquam scribi melius posſit, ideo vitam ipsam hic ea prorsus ratione, qua primum edita fuit, secundis typis adducimus, ut chronologicae huius libri seriei notitiarum de Pisani Vireti Botanici Aacademici Praefectis fiat satis non modo, verum etiam abunde.

„MI-

„MICHAËL ANGELVS TILLIVS

„Michaël Angelus Tillius e Castro Florentino cum a caeteris botanicarum rerum scriptoribus, tum eximie a *Michelio* collaudatus est, qui ab eius cognomine plantam quamdam flore rosaceo *Tilleam* appellavit (1). Sic enim erga Hominem de se, et de scientia, quam profitebatur, optime meritum gratus cognosci voluit. Erravit tamen *Michelius* in notando tempore eius ortus, qui incidit in IV. Id. Aprilis anni MDCLV. Optime educatus fuit diligentia honestissimorum parentum *Desiderii Tillii*, et *Lucretiae Salvadoriae*; quumque Pisas studiorum caussa anno MDCLXXII. venisset, ibi habuit praeceptorem Logices *Iosephum de Papa*; Philosophiae *Alexandrum Marchettum*; Matheseos *Donatum Rossettum*; Medicinae *Iosephum Puccinium*, et *Didacum Zerillium*; Anatomen *Laurentium Bellinium*, cui quidem sic fuit deditus, ut adolescens tristem et severum Virum omnibus aequalibus suis in familiaritate anteposuerit. Quotidie fere cum Ipso deambulabat, notabatque vesperi quidquid ab eo animadversione dignum accepisset. Laurea Medicinae anno MDCLXXVII. a *Zerillio* accepta, Florentiam venit ad eam facultatem exercendam, adeoque se probavit *FranciscoRedio*, ut eius commendatione, seu potius testimonio, substitutus fuerit a *COSMO III.* in locum illius, qui morbo impediebatur anno MDCLXXXI, ne Medicus navigaret in ipsius Magni Ducis triremibus. Solers, subtilisque, descriptio, quam fecit *Tillius*, insularum Maioricae, et Minoricae, aliorumque locorum, quos visere potuit, ostendit quanta eviditas esset in eo externa noscendi, quo rectius de domesticis iudicaret. Cui desiderio ut magis magisque satisfaceret, libentissime accepit oblatam sibi a *Cosmo* occasionem Byzantium usque concedendi. AEgro-

(1) *Nova Plantarum Genera*, pagina 22.

AEgrotabat ibi Musaippius Turcarum Regis cognatione gener, amore filius, qui, quum Etruriam praestantissimis artibus, et omnium disciplinarum genere, ac praesertim Medicina, esse pulcherrime exornatam accepisset, per Legatum Reipublicae Venetorum *Io. Baptistam Donatum* petiit a *Cosmo*, ut sibi medicus Florentia mitteretur. Hac de re consultus *Redius* coniecit statim oculos in *Tillium*, in quo inesse dicebat doctrinam cum prudentia, sine qua medicina esse non potest, mire coniunctam. Is itaque cum *Petro Francisco Pasqualio*, qui Chirurgiam faciebat, discessit ab Etruria ineunte anno MDCLXXXIII, et quatuor post menses, quum Neapoli propter tempestatem aliquamdiu moratus fuisset, Byzantium pervenit. Exceptus hospitio a *Donato*, audit ab eo longissime abesse Musaippium; etenim sequi coactus fuerat Regem, qui Albae Graecae cum exercitu caussa belli adversus Caesarem considebat. Doctus ille de adventu *Tillii*, iubet ipsum ad se venire, nec solum providit, ut iter commode, et tuto facere posset, sed misit etiam qui medico honores haberent. Deciderat ipse ex equo quatuordecim annos ante, luxatumque hac de caussa genu perverse adeo curaverant imperiti Chirurgi et Medici, ut ille nec extendere crus, nec pedem in terra ponere sine acerbissimis doloribus posset. Vtrumque ut satis commode faceret, obtinuit a *Tillii* curationibus. Quapropter huius nomen magno coepit esse in honore apud nobilissimos Turcarum, a quibus plurimum de valetudine consulebatur. Fuso, fugatoque, prope Viennam exercitu, *Tillius* cum Musaippio Adrianopolim venit, ibique hyemavit. Primo vere cum eodem, a quo res navalis summo cum imperio administrabatur, maris AEgei insulas lustravit, posteaque Byzantium remeavit. Sed, quamvis large, honorificeque, tractaretur, magnisque

pro-

promissis ad remanendum invitaretur, diutius tamen ferre non potuit Etruriae desiderium, ad quam, aegre concedente *Musaippio*, rediit trigesimo mense, postquam ab ea discesserat. Toto eo tempore, quo apud Turcas fuit *Tillius*, non destitit minuta quaeque observare de moribus eorum, de civilibus institutis, de locorum situ, et natura; hisque de rebus saepe litteras mittebat aut ad *Apollonium Bassettum*, aut ad *Franciscum Redium*. Tales erant narrationes, descriptionesque *Tillii*, ut iis etiam plurimum delectaretur Magnus Dux; quodque in iis non mediocris cognitio apparebat rerum naturalium, rem gratam *Tillio*, et utilem Academiae Pisanae, se facturum putavit *Cosmus*, si eumdem praeficeret eiusdem Academiae Horto Botanico, et rei Botanicae Magistrum declararet. Hac de re admonitus *Tillius* per litteras *Redii*, collegit multa, quibus illum Hortum exornaret, et inter cetera secum attulit semina quaedam Persicarum Plantarum, quae tum Italis plane erant incognita. At quantum stipendium homini doctrinis abundanti datum? Bis centum annuorum centussium, qui tamen Philosopho, iis praesertim temporibus, ad victum, et cultum satis esse poterant. Non enim apud Asiaticos molliter, et delicate vivere didicerat, sed e Graecia potius antiquam morum simplicitatem, frugalitatemque, reminiscens praesertim *Socratis*, *Xenocratis*, *Platonis*, aliorumque Philosophorum praeclara exempla, secum in Italiam deduxerat. Etenim magna vis inest admonitionis in ipsis locis, in quibus summos Viros versatos esse scimus, adeo ut ad eos imitandos magis moveamur, quam si ipsorum aut facta audiamus, aut scripta legamus. Non multo postquam *Tillius* in Etruriam redierat, ecce ab eo, qui Tuneti dominabatur, postulata ad Magnum Ducem, ut ad se, molesto magis, quam periculoso, morbo afflictum, mittere

Digitized by Google

vellet *Tillium*, cuius in toto fere imperio Turcarum pervulgatum iam erat nomen. Non tam ista sapientiae fama delectavit *Tillium*, quam cupiditas noscendi Carthaginis reliquias, et ex iis locis rariora adsportandi ad Pisanum Hortum ornandum. Dedit igitur operam, ut Principis voluntati, ut aegroti votis, ut suis desideriis plane satisfaceret; fueruntque eventus rerum quales ipse speraverat. Inter Plantas, quas inde adſportavit, sua celebratione maxime commemorata est *Cinara acaulos Tunetana magno flore suaviter olente angustis Cinerariae foliis non spinosis*, quam Barbari illi *Tafga* nuncupant, quamque delineatam videre potes in *Catalogo Plantarum Horti Pisani*. Dum Tuneti commorabatur *Tillius*, fecit etiam ephemerides barometricas, quas si edidisset, et physicam, et suum nomen non mediocriter illustrasset. Erat ille quidem ad physica studia mirandum in modum propensus, et e schola *Redii* talis evaserat, ut naturam in ipsa natura quaereret, facta et experimenta consuleret, examinaret, compararet, nihilque praeiudicati afferret: quod ſi laude dignum omni tempore fuit, nunquam satis quidem laudari potest iis temporibus, quibus plerique Philosophorum ad arbitrium, mentemque suam aeternas, immutabilesque, naturae leges accommodare se posse existimabant. Iisdem temporibus *Anna Aloysia Medicea*, quae nupta erat *Io. Guilelmo* Electori Palatino, dono misit Academiae Pisanae *Boyleanam* Machinam, a *Musschenbroëkio* affabre sane elaboratam. Haec quum in manus *Tillii* pervenisset, non passus eſt iacere otiosam. Itaque sociis sibi adscitis viris doctissimis *Iosepho Zambeccario*, *Pascasio* Janetto, *Josepho Averanio*, *Guidone Grandio*, et *Luca Albizio*, quamplurima et utilissima per eam habuit experimenta. Haec relata sunt in commentarios, qui ad hunc diem extant; nec satis dici potest, quanta

cle-

elegantia, simplicitateque Etrusci Sermonis conscripti fuerint. Non dubitabis quidem ob hanc, aliasque laudes ipsos comparare cum commentariis Florentinae rerum Physicarum Academiae, quamvis hi sint apud omnes gentes celebratissimi. Plurimi extitere Philosophi, qui *Chrysippum* imitati, dummodo Philosophiae satisfacerent, contempsisse videntur, tamquam in arte aliena, dicendi facultatem; contra alii in rebus iis, de quibus disputavere, eloquentes, et in dicendo suaves atque ornati esse voluerunt, in quorum numero nos maxime admiramur *Galileium*, et *Redium*; horumque schola, dum extitit, etitisse etiam videtur in Etruria rerum cognitio cum orationis exercitatione coniuncta. Neque enim dubito, quin, quo proprius aliquis ad naturam accedat, eamque contempletur, eo magis naturali quodam et non fucato inficiatur nitore, quem exprimere ac referre debeat in suis omnibus dictis, et scriptis. Tales igitur fuisse oportet *Tillium*, et *Averanium*, qui coniuncta opera eosdem conscripsere commentarios, ex quibus pauca haec notanda ad illorum praestantiam indicandam decerpsimus. Sed, priusquam de iis scribimus, haec praecipienda videntur lectoribus, ne praeterita tempora ad sua referant, neve, siqua ipsis leviora videbuntur, pari modo apud maiores nostros fuisse arbitrentur. Nam in magna rerum physicarum ignoratione praeclarum erat vel modice processisse, et posteriores Philosophi, nisi ab his initiis profecti essent, numquam in suis ſtudiis tantos progressus habere potuissent. Diversorum animalium sanguis, in inani positus, aërem semper emittebat, ebulliebat etiam, sed perquam tarde; citius serum, vix vero chylus. Sic dirimi potuit, quae iamdiu extitit, controversia, num in sanguine insit aër: quumque fluida corpora, quo sunt crassiora, et tenaciora, non difficilius modo, sed et largius,

emittant aërem (quod alia etiam a *Tillio* habita experimenra mire comprobant) argumentum inde elici porest ad confirmandam praeclaram sententiam *Macbridii* de aëre, ut ipse appellat, fixo, quem veluti gluren esse air, quo partes corporum inter se colligantur. Ovorum putamen minime impediebat, quin aër in iis contentus exhalaret; ex quo experimento tota ferme duci, et conflari potuisset, quam in vulgus edidit *Reaumeurius*, dissertatio de obliniendis ovis cera, aut sebo, aut quavis alia huiusmodi materia ad illa conservanda. Maiora exhalationis indicia dabat vitellum, si sua spoliaretur membrana, quam albumen. Magno cum impetu bullivit urina recens reddita: eadem refrigerata lente, et parum, quandoque etiam nullo modo bullivit. Manibus calefacta (calor enim necessarius esse videtur ad coniunctionem superandam, quae est inter urinam et aërem, et ad ipsius aëris excitandum elaterem) pristinum recuperabat aestum. Eadem fere oleo tartari evenere. Lac muliebre, recens mulsum et frigidum haud mulrum spumae egit. Calefactum illico exiluit, sed non aeque ac urina, etsi diutius bullivit. Eadem prorsus signa dedere lac tum asininum, tum caprinum, quod novisse non inutile fortasse erit medicinae studiosis. Ovinum mediocriter, sed diutius caprino, maioribusque bullis aestuavit. Vrrumque, si calefiat, magno cum impetu, citius tamen primum ebullit. Maior erit hic aestus, quando lac acescit, quod per acidam, ut vocant, fermentationem facilius aër sese extricare videatur. Vaccae foetus trimestris ab allantoide et chorio, minime vero ab amnio seiunctus, quum arcte colligata essent vasa umbilici, ex omnibus partibus intumuit. Quod antequam accideret, amnii liquor lenre prius, postea magno cum impetu ebullivit. Separato foetu ab amnio, apertoque cranio, pectore, et abdomine, omnia viscera,

ac

ac praesertim abdomen tumuere. Idem evenit cerebro, praesertim si dura matre spoliatum esset. Eadem inflatio animadversa est in omnibus aliorum animalium partibus, adeo ut concludi iure possit inter ipsarum partium initia, et elementa aërem numerandum esse. Dum cerebrum canini capitis inflabatur, sanguis ad circularem suum motum redibat, eodemque modo visus est in testudine instaurari peristalticus cordis motus. Vesica fellis tum suo liquore plena, tum vacua, nunquam intumuit, quód ipsam esse aëri perviam declarare videtur. Ova gallinacea, quae foetum nondum fuderant, aërem emittebant, praesertim si cortex, qua parte obtusior est, frangeretur. Tum pulli cor vidisses palpitare, magis ac magis augeri huiusmodi motum, huncque educto prorsus aëre paullatim cessare. Vt ova maxime erant vieta, ita potissimum aërem exhalabant; aër enim, dum corpora corrumpuntur, liberius evolat. Varia, et diversa Avium genera iisdem signis intumescebant: prodibat aër ab oculis et auribus, separabaturque cutis a carne. Reddito nonnullis Piscibus pene iam mortuis aëre, redditam animam dixisses. Plurima experimenta habita super variis vinorum generibus mirum in modum confirmant, quod a *Priestleyo* Physico Britanno recentissime traditum est, ab aëre, ut ipse nominat, fixo vires sumere vina, illoque abeunte ipsa quoque fugientia, ac vapida fieri. Aërem, quem oleum, et aqua amisere, lente quidem recuperare videntur. Quum enim biennio post in machina pneumatica collocarentur, minus iis aestuabant, quae nunquam illam subiissent. Flores et fructus suavitatem odoris nonnulli vero et saporem in inani perdunt. Balsamum Jasmini, et *Zibethum* graveolentia corruptionis signa dedere. Aqua postquam biduo in inani ebulliverat, gelu concreta non amplius ebullivit, attamen dilatata est. Id

facit

Digitized by Google

facit contra eos, qui extricationem interioris aëris caussam esse aut unicam, aut praecipuam affirmant inflationis aquae, dum ipsa conglaciat. Lac muliebre vase formam cylindri habente contentum spumabat, dum gelu concresceret. Concretum vero exhibebat lamellas leviter incurvas, et in axem cylindri vergentes. Eamdem formam videre licet tum in asinino, tum in caprino lacte, quamquam huius lamellae rariores sint, ac minus incurvae; quod confirmare videtur, similitudinem quamdam esse inter haec tria lactis genera. Olivae oleum, quod conglaciat in vacuo, ebullit, et dilatatur; contra ac fit, dum conglaciat in aëre. Quae alias in vacuo conglaciaverat et bulliverat aqua, citissime concreta est. Hoc, aliisque experimentis, comprobatur, quo minus aëris in se contineat aqua, facilius illam gelari. Observatum est etiam, quae diu ad ignem ferbuit, aquam aeque cito in vacuo atque in aëre conglaciare. Liquor thermometri in vacuo positi nonnihil subsedit; reddito aëre, ad pristinum statum rediit. Huius phaenomeni caussam, qui scire cupiunt, eos ad volumen II. commentariorum Academiae tum Taurinensis, tum Bononiensis delegamus. Hydrometrum in aqua mersum, dum haec aëre privatur suo, multum attollitur, quod ex aëreis bullis imo hydrometro, vesicularum instar, adhaerescentibus pendere videtur. Nimis fortasse multa de huiusmodi Pisanis experimentis. Porro nihil agebat, nihil moliebatur, nihil assequebatur *Tillius* in contemplatione naturae, quod latere vellet in occulto; et quo latius etiam paterent res a se inventae, de iis saepe litteras mittebat ad *Guilelmum Reislerium* Germanum, ad *Sebastianum Vaillantium* Gallum, ad *Cornelium Fossum* Batavum, atque ad *Guilelmum Derehamum* Britannum, Regiaeque Londinensis Academiae socium. Huius rogatu inſtituit anno MDCCVII. pendere, et me-

metiri pluviam aquam, quae certum quoddam in vas, et in annos singulos Pisis decideret. Id eo pertinebat, ut comparari posset annus cum anno, et locus cum loco, quum eamdem rem observaret *Derehamus* in variis Britanniae regionibus. Habuit etiam *Tillius* alia huiusmodi mandata ab aliis Academiae Londinensis sociis, quam ob caussam, et ob notam cunctis doctrinam illius in eamdem Academiam anno MDCCVIII. cooptatus eſt. Gratissima *Tillio* fuit haec commendatio ad gloriam; et quod eam unice se debere studiis physicis putabat, ſtatuit sibi nihil gravius, neque antiquius futurum, quam ut ea, quoad suppeditaret vita, excoleret. Invitabat omnes, et eos praesertim, cum quibus amicitia et muneribus coniungebatur, ad coëundam societatem laborum, sperans ex hac societate, non solum iucunda, sed etiam utilia hominibus allatum iri. Qui vero contra haec ſtudia, et Pisanae Academiae gloriam affecti erant (et tum erant maxime Jesuitae) illos insanos, invidos appellabat. Non mediocrem operam, et tempus posuit cum *Zambeccario*, et *Janetto* in thermarum, quibus Pisanus ager abundat, inquirenda natura; qua de re *Zambeccarius* ipse anno MDCCXII. libellum edidit. Sed Chymia iis temporibus non tantos processus fecerat, ut ex huiusmodi disquisitionibus magna sperari potuerit utilitas. Decoctio *gallarum*, dissolutio hydrargyri *sublimati corrosivi*, certissima argumenta, atque indicia, num ſit in aqua aut ferrum, aut nitrosa, quaedam materia, tincturae violarum et heliotropii, quae praesentiam declarant materiae aut *alcalicae*, aut *acidae*, unica erant, ut ita dicam, inſtrumenta ad aquarum inveſtigandam naturam. Ipsum examen, quod de salibus, aqua evaporante, concrescentibus fiebat, admodum imperfectum erat. Nil enim aliud quaerebatur, nisi quam similitudinem illi haberent cum aliis iam cognitis

Digitized by Google

salibus; et nemo intendebat animum in principia, ex quibus iidem conſtabant. Negligebantur etiam, aut prorsus ignorabantur alia plura, quae fieri sine summa difficultate non possunt, et quae tamen necessaria sunt ad huiusmodi aquarum recte noscendam naturam. At si non susceptae rei perfectio, conatus tamen, et voluntas iuvandi, conservandique Homines laudari debet in *Tillio*, et iis, quos socios habuit laborum. Sed tempus eſt, ut ea explicem, quae gessit *Tillius* ad res Horti Botanici, ipsiusque herbariae scientiae augendas. Erat sibi commercium de his rebus cum illuſtrioribus totius Europae Botanicis; sic utebatur opera *Petri Michelii*, ut omnes scirent hanc esse magno emolumento ipsi Horto Pisano, et vicissim *Michelio* per *Tillium*, cuius commendationes et teſtimonia plurimum poterant apud Principem, rependi utilitates, et praemia; quidquid alibi rarum erat, et singulare, nihil non agebat, ut obtineret; et facile etiam a *Cosmo* impetravit, ut Amſtelodamum homo mitteretur, quo instructior exoticarum plantarum cultor evaderet, et quam maximam posset earum copiam Pisas deferret. Huiusce desiderii expectationem adeo explevere Consules Amſtelodamenses, ut magnus ille numerus plantarum ad *Tillium* pervenerit, quas doctissimus *Commelinus* diligentissime descripserat; gratulatusque plurimum is eſt sibi, et Horto Pisano, non tam propter copiam, et praeſtantiam rerum, quam propter soli, et caeli naturam, quum floruerint in eo nonnullae plantae, et in his aloës, quas, nulla non arte adhibita, florescentes videre haud potuit *Commelinus*. Illud etiam singularis, insperataeque cuiusdam felicitatis fuisse putavit *Tillius*, quod semen Jasmini illius Arabici, cui nomen posuimus *Caffè*, quodque Pisas primo delatum fuit anno MDCCXV, mediocri cultu et curatione tuto nasceretur, suosque ede-

ederet fructus. Quod vero ipse effecerit, ut non solum hae, sed et aliae nobilissimae Stirpes Galanga, Tamarindus, Zedoaria, Batates, Cerei, et Euphorbii species variae, et quamplurimae aliae, quae in Pisano Horto primum extitere, quum antea Italiae essent perobscurae, ac prope ignotae, Omnibus innotuerint, merito laudatus eſt a *Iulio Pontedera*, caeterisque rei Botanicae cultoribus eximiis. Ad hanc laudem amplificandam, celebritatemque sui Horti augendam deliberavit in vulgus edere librum, quem inscripsit *Catalogus Plantarum Horti Pisani.* Editus eſt liber anno MDCCXXIII, nuncupatusque *Cosmo III* rei Botanicae ſtudioso, et fautori praeſtantissimo. Minime secutus eſt Auctor ordinem, ac rationem a *Turnefortio* traditam; imitari tamen voluisse videtur nescio quam eius negligentiam, quum Acanthion, ut unam alteramve rem exempli caussa ponamus, Carduis adiecerit, quae sine pappis thalamum ferunt, neque dixtinxerit Guaicanam in ſterilem, et fructiferam, quae geminae eſt naturae, utraque sane florifera, et petalodes, sed ſterilis, maioribus, quam fructifera, ornata floribus, ac receptaculo deſtituta. Non propterea tamen quis dicere audebit, non satis acutos *Tillium* habuisse oculos ad minimas Plantarum dissimilitudines noscendas, quum potius ei, ut et *Michelio*, obiici possit, insatiabili, ut ita dicam, varietate diſtinxisse omnium multitudinem. Nemo enim ignorat, pro soli natura modo contrahi Stirpes, modo produci, modo minora et aridiora, maiora modo et crassiora esse folia, quamvis una eademque sit Plantae species, ut propterea nulla notanda esse differentia videatur. Sic ex. gr. eadem Orientalis Agrimonia, quae a *Turnefortio* humilis dicitur, procera magis, quam vulgaris, apud nos surgit omnibus partibus. In eo etiam reprehendi posse Nonnullis videtur *Tillius*, quod simil-

Y limis

Digitized by Google

limis Plantis diverso in libri loco diversa, sed tamen synonyma, dederit nomina, ut Acarna, Alcea, Anemonoides, Apocynum, Asplenium, Barbacaprae Cardus, Chaerophyllum, Geranium, Hedera, Hedypnois, Hieracium, Hypericum, Paeonia, Limonium, Vitis, &c.. Sed, quum Ipse ingenue, aperteque erratum suum confessus fuerit, caeteris ademisse libertatem reprehensionis videtur. Caussam etiam affert, cur diligens corrector, et emendator sui Operis non fuerit. Nam eo tempore, quo illud typis committere debuit, erat animo perculso, et abiecto, ob mortem Fratris, Burgi a S. Sepulcro Episcopi, qua nihil sibi ad dolorem acerbius (et Is quidem ob egregiam virtutem, et doctrinam, tanto moerore dignus erat) accidere potuisse dicebat. Sed pauca vitia minimum imminuunt gloriam Operis, quod non in Italia solum, sed etiam in Britannia, Batavia, et Germania, magna cum laude exceptum est. Se autem non sine caussa elaborare aiebat *Tillius*, ut sua studia Botanica nota essent litteratis Hominibus, quod moveretur voluntate Principis, dignitate Academiae, et memoria summorum Hominum, ac praesertim *Andreae Caesalpini*, qui Pisis rem herbariam curarunt, docueruntque. Horum imitatus industriam videbat, ne quid privatis studiis de opera publica detraheret: quapropter paratissimus semper fuit ad instituendos adolescentes, sapientibusque consiliis in studiorum ratione gubernandos. Nemini etiam doctrinam suam medicam denegabat, quam inter caeteros depoposcit *Carolus*, Hispaniarum Regis filius, quum aeger Liburni esset gravi variolarum morbo. Huic rei caussam dedere multa, et praeclara, quae de *Tillii* in medicis rebus doctrina audierat eiusdem Principis medicus *Bonacorius* a magistro, et amico *Nicolao Cyrillio*. Non necesse habeo dicere, *Tillium* simplicia amasse in medicina facienda, quum dixisse satis

tis

tis fuerit e *Redii*, et *Bellinii* schola illum prodiisse. Nec in medicina solum, sed in omni vitae actione, quod simplex esset et sincerum, secutus est egregie cordatus Homo, integer, innocens, religiosus, ac plane bonus. Virtutis, et doctrinae usum cum vitae perfectae prosperitate (non enim fortunam magnis divitiis metimur) coniunxit. Nam a nemine laesus tranquillissime semper vixit; floruit amicitiis, amatus, honoratusque ab omnibus, et a suis maxime Principibus fuit. Id quoque prospere ei evenit, ut *Angelum Tillium* fratris Filium, quem doctrinae, virtutum, et bonorum haeredem fecerat, obtinuerit successorem in muneribus, quae sustinebat in Academia Pisana. Sic, quum vacaret cura et negotio, secessit in patriam, ubi III. idus Martias anni MDCCXL supremum diem obiit, quum complesset annos LXXXIV, menses XI, dies III. Eius perquam similem effigiem videre potes in libro, quem de Plantis Horti Pisani ipsum confecisse memoravimus, sub qua *Antonius Maria Salvinius* haec inscripsit.

Qui Lybiae, atque Asiae, perspexit Tillius oras,
Herbarum, et dias sedulus auxit opes;
Ille est quem cernis: mentis candorque, fidesque
A nulla fingi protinus arte queat.

OPERA EDITA

Catalogus Plantarum Horti Pisani Auctore Michaele Angelo Tilli e Castro Florentino, in Pisano Athenaeo simplicium Lectore Ordinario, et eiusdem Horti Custode, nec non Regiae Societatis Londinensis, et Academiae Botanicae Florentinae Socio. &c. Florentiae MDCCXXIII. &c.. Non est caelandum iudicium, quod de hoc opere fecit *Hallerius* p. 281 de Bot. in Method. Studii Medici Hermanni Boërhaave, Venetae Editionis. Ait enim: *Per Africam iti-*

nora fecerat felix Horti Horti Pisani Restaurator. Excellit in primis in Stirpibus Italicis ab indefesso Michelio congestis &c. Miror apud Tillium numerum Stirpium, et quod nulla fere earum desit, quas habet Tournefortius, etiam quas certo nov nuspiam in rerum natura existere. „

Hactenus Praeclariſſimus *Fabronius*. Cl. *Halleri* venia dicam, minus credibile esse *Michaëlem Angelum Tilli*, Virum candidissimum, posuisse imaginariarum Plantarum nomina in suo Horti Pisani Botanici Catalogo, ut hunc augeret. E contra innotuit, *Petrum Antonium Michelium* (qui plerasque Plantas in Pisanum Viretum intulerat e pluribus suis Botanicis itineribus, per ingentes Lycei etiam Pisani sumtus factis, reversus cinctus comam emicanti plurimarum novarum Plantarum corona) fuiſſe perspicacissimum, atque diligentissimum in observandis quibuscumque, minimis etiam, variationibus trunci, foliorum, floris, et seminis; ideoque ipsum *Michelium*, ipsumque *Tillium*, diversitatem recognovisse multarum Plantarum, quae Viris aliis fortasse visae fuerint vel nuſpiam existere, vel esse unius eiusdem datae speciei.

Eumdem editum *Michaëlis Angeli Tilli* Catalogum, in quo rarae plures inveniuntur, utilesque, notitiae, ad innocens illud amoenissimumque studium Botanicum spectantes, memoravit Cl. *Linnaeus* anno 1736 in sua *Bibliotheca Botanica* ante annos 36, quam praecitatus *Hallerus* Cl. anno etiam 1772 in secundo suae *Bibliothecae Botanicae* tomo verba faceret de ipso *Tilliano* Opere.

Michaël Angelus Tilli praeter ditissimam selectorum Librorum supellectilem, adtinentium praesertim ad Naturae Historiam, atque ad ſalutarem Artem, reliquit Filiis Fratris volumina quatuor magnitudine folii maximi, quae relativis Naturae coloribus delineatas repraesentant plu-

plures *Corallinas*, *Fucos*, *Algas*, et *Alcyones*, cccc species *Fungorum*, LVI species *Agaricorum*, plurimasque raras admodum Plantas cum respectivorum Florum, atque Fructuum imaginibus.

Praeterea iisdem Filiis Fratris reliquit Hortum, ut vocant, siccum, quem Ipse pluribus confecit cadaveribus Plantarum Regionum plurium, et alias reliquit Naturae productiones, potissimum vero Testacea fossilia corpora, quae *Diluviana* nominantur, et quibus Museum Lycei Pisani ditatum fuit.

Memoratis primis ducentis nummis stipendii *Michaëlis Angeli*, quibus ipse anno 1685 conductus fuit, additi fuerunt anno 1688 nummi alii triginta annui a Magni Ducis *COSMAE III* munificentia, prudentissimi Studiosorum remuneratoris. Ita anno 1692 additi fuere alii nummi viginti annui, ut et anno 1696 alii quadraginta annui. Sic etiam anno 1700 additi fuere alii triginta annui, sicuti etiam inde analoge addita fuere alia incrementa annua aliis sex vicibus ita, ut anno 1731 meritissimi *Michaëlis Angeli Tilli* stipendium Academicum creverit usque ad annuos nummos 495.

Gratissimi, doctissimique viri *Angelus Atilius*, et *Philippus Nerius Tillii*, nati ex *Augustino* Fratre eiusdem *Michaëlis Angeli*, curantes, ut memoria servaretur loci, in quo tanti Patrui condita sunt Ossa, titulum, qui ibidem in marmore incisus notis publicis poneretur, scribendum mandarunt Cl. *Leopoldo Andreae Guadagnio* Florentino, Iuris et Latinarum Graecarumque litterarum consultissimo, et in Pisana Academia Pandectarum Professori Ordinario, in qua septem et quadraginta abhinc annis ex Iuris Naturae principiis, et ex Romanorum Prudentum sapientia, adhibito Historiae lumine, saniorem Iurisprudentiam docet, qui et ipsum *Michaëlem*

Ange-

Digitized by Google

Angelum in vivis degentem optime novit, eiusque sinceros, eximiosque mores, atque praestantiam doctrinae se suspexisse testatur. Eam Inscriptionem hic publici id circo iuris facimus, quae his verbis concepta est.

A ☧ Ω

MICHAELI. ANGELO. TILLIO
PATRIA. CASTRO. FLORENTINO.
PHILOSOPHO. MED. NATVRAL. HISTORIAE.
PERITISSIMO.
IN. PIS. LYCEO. BOTANICES. PROF. CELEBERR.
QVI. MAGNIS. PRINCIPIBVS. AEGROTANTIB.
AD. QVOS. CVRANDOS. ACCITVS. FVIT.
SANITATE. RESTITVTA.
LONGIS. ITINERIB. TERRA. MARIQ. CONFECTIS.
REB. NATVRALIB. MVLTORVMQ. HOMINVM. MORIB.
ACCVRATE. OBSERVATIS.
AVCTO. EXOTICIS. PLANTIS. HORTO. PISANO.
EDITISQ. PVBLICE. MONIMENT. INLVSTRATO.
CANDIDO. SINCEROQVE ANIMO.
PIETATE. IN. DEVM. SVAVITATE. MORVM.
PRVDENTIA.
INTEGRITATE. VITAE. CLARISSIMVS,
FAMA. AETERNVM. VICTVRVS.
OBIIT A. R. S. MDCCXL.
ANNOS. NATVS. LXXXIV. M. XI. D. III.
ANGELVS. ATILIVS.
IN. SCHOLA. ET. HORTI. PRAEFECTVRA. SVCCESSOR.
ET. PHILIPPVS. NERIVS. I. C.
FRATRIS. FILII. NOBB. PIS.
PATRVO. B. M. HEIC. VBI. S. E. T. P. C.

CAPVT XX.

Digitized by Google

CAPVT XX.

DE XX.^{us} PISANI VIRETI BOTANICI ACADEMICI PRAEFECTO

ANGELO ATILIO TILLI.

DOctissimus *Angelus Atilius Tilli* Nobilis Pisanus, natus sub anni 1710 exitum ab *Auguſtino*, Fratre praelaudati *Michaëlis Angeli Tilli*, praeest ab annis 37 Pisano Vireto Botanico Academico, et huius Museo Rerum Naturae, donatus stipendio Academico annuo nummorum 475, ab incrementis etiam pluribus conflato.

Angelus Atilius, cinctus comam Delphica lauro a Philosophorum et Medicorum Pisani Lycei Collegio anno 1730, declaratus fuit illo eodem anno pridie Nonas Novembrias a Magno Duce *IOHANNE GASTONE MEDICEO* adiutor Patrui *Michaëlis Angeli*, quod ad Praefecturam Vireti Botanici Academici atque Musei, et quod ad domeſticas Botanicas lectiones pertineret.

Anno 1731 Calendis Novembribus idem *Angelus Atilius* creatus fuit ab ipso Magno Duce Extraordinarius Professor Publicus Botanices, dum Patruus *Michaël Angelus* Ordinariam suam adhuc Cathedram agitabat.

Quum *Angelus Atilius* multis usus annis fuerit tanti Patrui consuetudine, et crebris colloquiis cum *Petro Antonio Michelio* Florentino (*a*), optimo verae scientiae Botanicae Institutore, facile potuit fieri per utriusque sapientiam doctior, et Pisanis muneribus illis suis eo magis adimplendis idoneus.

Ab anno 1735 usque ad annum 1757 (scilicet anno-

norum 22 decursu ex iis, quibus *Angelus Atilius* Pisano Vireto Botanico Academico doctam suam navavit operam, quotidianas meteorologicas observationes suas scribens, considerans que iugiter Arbores, Herbas, et Flores, et Fructus, quibus Viretum idem praestaret, ac Plantarum semina (*b*) cum dissitis Amicorum seminibus permutans) stabilitae fuerunt Pisis praeclarae, utilissimaeque Institutiones aliae, quibus studia ne dum Botanices, verum etiam totius Historiae Naturae, satius excolerentur, et quae ideo chronologice memorandae in hoc capite mihi visae sunt.

Anno illo 1735 *IOHANNES GASTO* (conspirante Moderatore Pisani Lycei *Petro Francisco de Ricciis* Patricio Florentino, ac Senatore, et Equestris Ordinis Divi *Stephani* Praeside) mandavit, ut Specula Astronomica prope Viretum Botanicum Academicum strueretur. Id Opus ceptum fuit anno ipso 1735 *Iulio Fogginio* Architecto, conversa in usum Speculae vetusta Turri, quae in hunc finem emta fuerat anno 1728, quum vacabat Curatoris Lycei sedes, ideoque solus *Riccius* Lyceo ipsi moderabatur. Praeterea voluit institui Scholam Astronomiae practicae, abstractam nove ab aliarum partium Matheseos Scholis, neutiquam vero Astronomiae illius, quae praedicere praesumit Vniversitatis Rerum Naturae successus. Porro doctissimus ille Princeps Regius cordi habebat etiam, ut utilissima non modo Terrestris, sed etiam Caelestis Naturae Historia perdisceretur tutius, atque commodius, utpote qui animadverterat, Viros, qui in Pisano Lyceo e mathematicis diſciplinis practicam Astronomiam explicuerant, atque agitaverant, desiderasse altius, atque aptius Pisanis aliis Turribus Observatorium pro Astrorum speculatione, coactosque fuisse, maxima incommodorum accessione, ad praeruptum,

atque

atque arduum, eminentiusque Piſanorum Montium iugum dictum *della Serra* (*c*) ſe conferre, ut obſervarent immenſi Caeleſtis Operis adeo decori, adeoque mirandi, Corpora tum fixa, tum errantia, nempe eorum diſtinctiones, varietatem, pulchritudinem, ordinem, magnitudines, formas, diſtantias, relationes mutuas, motus, leges, et effectus. Verumtamen ex innumeris laudibus non minima laus abſolutionis, conſummationisve Piſanae Aſtronomicae Speculae Academicae, et adiunctarum aedium coëmtarum, manebat Magnanimum . Succeſſorem anno 1739 in Etruriae Imperio, Auguſtum *FRANCISCVM LOTHARINGVM*, qui paullo, poſtquam tranſvenerat ad reddendam felicem Etruriam,

- - - - - - - - - - - - - - - ordinem
Rectum, et vaganti frena licentiae
Iniecit, amovitque culpas,
Et veteres revocavit artes.

Cepta igitur anno 1735, Academica Piſana Specula conſummata fuit anno 1746, alta Pariſienſes pedes 136, quae lata eſt qua ad orientem Solem ſpectat pedes 32, qua ad meridiem pedes 23. Profeſſor publicus Aſtronomiae theoreticae, ac practicae, et Speculae Praefectus, creatus fuit illo anno 1739 Cl. *Thomas Perellius* e Bibiena, Philoſophiae et Medicinae Doctor, ac Mathematicus eximius, conquiſitis melioris notae Inſtrumentis, et ſtatuta dote annua, ſancitiſque legibus circa annum ipſum 1746 pro eadem Specula exercenda. Quae Inſtrumenta, ſeu Organa, publice habentur anno praeſertim 1769 deſcripta (quum Piſis editae fuerunt *Obſervationes Siderum Habitae Piſis in Specula Academica ab anno 65 vertentis ſeculi XVIII. ad annum 69*), et triplici diſtincta genere, nimirum menſurae temporis; ſecundo menſurae angulorum, quibus Sidera invicem a certis punctis, vel planis, diſtare videntur; tertio, deſcripta,

Digitized by Google

et distincta ea Organa inservientia spectandis Caelestibus phaenomenis, ad quae nuda oculorum acies nequaquam pertingit (*d*).

Anno 1740, quo *Michaëlem Angelum Tilli* obiisse enunciavimus supremum diem in patrio Castro Florentino, ad quod secesserat tres annos ante, successit in Praefecturam Vireti Botanici Academici, et Musei, atque in Ordinariam Botanices, pluriumque aliarum Naturae Rerum explicandarum Cathedram, *Angelus Atilius*, qui maximam curam ac peritiam ornandi, augendique Vireti, ac Musei, perpetuo prae se talit.

Pridie Idus Ianuarias anni 1747 Augustus Caeſar *FRANCISCVS*, liberalissimus Disciplinarum Promotor, ut eo maior Naturalium Cimeliorum vis congereretur in Pisani Lycei Museo, emi iussit, et tradi *Angelo Atilio*, atque addi Museo ipſi, ditissimam, atque elegantissimam, et magni momenti collectionem, vel seriem, 3600 Teſtaceorum Conchyliorum Maris Indiae Orientalis, et Nili, quae servabatur in Museo Clarissimi quondam *Nicolai Gualterii* Florentini Philosophi et Medici, atque emeriti in Pisano Lyceo Professoris Medicinae, qui *IOHANNIS GASTONIS* Archiater floruerat, et qui Conchyliorum ipsorum imagines cum indice iuxta methodicam distributionem typis exhibuerat splendida editione anno 1742 sub eiusdem Caesaris auspiciis Florentiae per incisas decem supra centum tabulas cupreas.

Anno 1748 Auguſtus idem *FRANCISCVS* publicam in Pisano Lyceo Cathedram Physicae Experimentalis, quae verbalem Veterum Philosophiam profligavit, instituit, et ditissimum Machinarum Theatrum confici voluit, quibus Natura latitare studens interrogaretur, ac detegeretur. Fieri ideo voluit quotannis innumera Experimenta, quibus caussae Naturales facilius deprehenderentur, pe-

ni-

nitusque paterent, non amplius sola lente vitrea absolutissima, quae *Speculum ustorium* vocatur, neque sola machina, quae vulgo *Pneumatica* Graeco vocabulo dicitur, et per quam plurima de Aëris natura et proprietatibus, Experientia duce, didicimus, sed et multorum fieri repetirionem Experimentorum *Cimentinae* Academiae, atque celebrationem novorum in dies detectorum. Machinarum eiusmodi, seu Organorum, cuſtodiam; physicorum Experimentorum celebrationem; et publicas de hisce lectiones demandavit Expertissimo, Clarissimoque Philosophiae et Medicinae Doctori, et Mathematico, *Carolo Alphonso Guadagnio* Florentino, Viro mirifica sagacitate, ac dexteritate, ad ea Organa tractanda praedito, qui plures annos antea in Patria propriis Machinis publice methodicorum Experimentorum seriem in singulis Physicae partibus confecerat, ut super Solari luce, Attractione, Electricitate, Magnetica vi, Fluiditate, Gravitate etiam Aëris, tum et de huius Elasticitate, rarefactione, condenſatione, calore, humiditate, salubritate, nocumentis, &c.. Quod Pisanum Academicum innumerabilium, atque exactissime et affabre effictarum, Machinarum Theatrum multa auri vi, et elegantia fuit perfectum, nummisque annuis instructum, pro Physicorum Experimentorum celebratione in singulos annos erogandis.

Anno 1752 *Angelus Atilius Tilli* tradidit *Carolo Alphonso Guadagnio* Machinam Pneumaticam *Boyleanam*, cuius etiam ope, praeter alteram multo recentiorem, quam possidebat *Guadagnius* ipse, aërometricas Experientias peragere, et de iis disserere publice nutu Caesareo occepit, singulisque annis prosequitur, mille alia perhibendo Experimenta, ut et quae a novis successive inventis plura in dies suppeditantur facienda pericula, innumerorum, ut ita dicam, non modo Adolescentum,

 sed

sed etiam Virorum conventu (*e*). Eam vero Machinam, quam *Angelus Atilius Tilli Carolo Guadagnio* tradidit, cuſtodire solitus erat ipse *Tillius*, et per eamdem pluribus annis singulis aërometrica praebere Experimenta publice Lycei Discipulis in Vireti Botanici Pharmacopoeio, vocato *Fonderìa*, in quo ipsa Experimenta praeſtare similiter solebat *Michaël Angelus Tilli* Patruus suus ab anno usque 1701, novissima tunc in Italia, quum machinamentum ipsum ab *ANNA ALOYSIA MEDICEA*, *IOHANNIS GVILELMI* Electoris Palatini coniuge, ad Pisanum Gymnasium dono missum fuit, conſtans una antlia ad horizontem inclinata, et elaboratum solertissime anno 1697 ab *Iohanne Musschenbroëkio* ingeniosissimo Leidensi Artifice, et Philosopho non imperito, atque *Petri* Physici et Mathematici doctissimi fratre...... Illo ipso anno 1752 *FRANCISCVS* Caesar novo praemio annuo pecuniario auxit *Angelum Atilium*, iubens, ut doceret Inſtitutiones Botanicas in publicis Gymnasii Lectionibus, et in domeſticis primorum duorum singuli anni scholaſtici *trientum*, in ultima vero singuli anni scholaſtici parte tertia de more oſtenderet in publico Vireto Botanico Plantas, quae pro salutiferis habentur... In veteri Pisanae Academiae Museo ab anno usque saltem 1626 servabantur prae ceteris Rebus ingentes vertebrae *Physeteris*, et lapidefacta plura Elephantum femora, repertorum in Arni valle, quorum meminit anno 1643 scribens *Thomas Bartholini* Hafniensis, filius *Casparis*. Quoniam vero illius veteris Musei cubicula imparia evaserant continendis increſcentibus numero Rebus Naturae, ideo *FRANCISCVS* Caeſar novum decorumque et fornicatum iussit conſtrui pro novo Museo Pisano aedificium, in quo non modo illae plurimae acquisitae, verum etiam acquirendae, Res Naturae contineri valerent. Quamobrem

Phar-

Pharmacopoeii, quod obſoleverat, cubicula everſa fuere, eorumque in ſpatio, atque in alio proximo, nempe ſuper Vireti Botanici Academici veſtibulum, hodiernum erectum fuit aedificium ſplendidum, quod eo anno 1752 perfectum fuit, id docente etiam Epigrammate, ſeu Inſcriptione, in perpendiculari marmore inciſo impoſita ſuper lapideae novae Scalae magnificae Portam, quae ad hodierni Muſei cubicula deducit, nempe:

IMPERATOR CAESAR. FRANCISCVS. I. P. F. AVG.
HORTO. BOTANICO.
ELEGANTIORI. CVLTV. NOVOQVE. ADITV. DECORATO.
EXIMIA. FOSSILIVM. AC. MARINORVM, CORPORVM.
COPIA.
IN. MVSEVM. RECENS. EXTRVCTVM. ILLATA.
NOVVM. ACADEMIAE. PISANAE. ORNAMENTVM.
ADOLESCENTIBVS.
HISTORIAE. NATVRALIS. AC. BOTANICES. STVDIOSIS.
PRAESIDIVM.
AVSPICIO. AC. MVNIFICENTIA. SVA. COMPARAVIT.
ANNO MDCCLII.

Quod Epigramma ab Clariſſimo tunc in Piſana Academia Profeſſore Humaniorum Litterarum *Odoardo Corſinio*, et Scholarum Piarum Monacho perilluſtri, ſcriptum fuit..... In novi Muſei cubiculis magnifica Cuſtodiaria, amplis nitidiſque donata cryſtallis, efficta atque collocata fuere, in quibus *Angelus Atilius* prope infinitas Naturae Res Muſei tum veteris, tum novi, rationali methodo claſſium, generum, et ſpecierum diſtribuit.... Viretum autem ornatum plurifariam fuit, novo ſcilicet inſigni Aditu ad occidentem Solem adaperto, elegantiſſimiſque cancellis ferreis inſtructo. Praeterea novi Muſei facies, ad Viretum verſa, fontibus variis, et elegantibus ornata fuit corporibus Teſtaceis, ad ſpecus formam compoſitis, fixiſque, et Lapidibus *Lumbricatis* et cerebriformibus, aliterque figu-

figuratis, scilicet *Astroitibus*, *Corallitibus*, *Placentis*.....
Commodioris insuper Hypocauſti accessio facta fuit, in quo plures Plantae *Musae* florent, fructusque edunt aeque, ac plures Iasmini Arabici Plantae, seu *Caſſè*, praeter minores bene multas rarissimas diversarum specierum Plantas exoticas, difficilesque cultu. Hypocauſtum *COSMAS III* fieri voluit, ut ibidem Plantae educarentur aeſtuantium climatum, seu zonae torridae, miſſis tunc pridem *Antonio Morinio* Vireti Cultore, et *Angelo Ianettio* Amſtaelodamum, ut eiusmodi Plantarum culturam per Hypocauſtum diſcerent, externasque Plantas adferrent.

Anno 1757 (dum Pisano moderabatur Lyceo Praeclarissimus Doctissimusque Eques *Stephanus Bertolinius* Nobilis Pisanus, qui Florentiae modo dignitate fulgenti praesidet Iurisconsultis Auditoribus conflantibus eminens Tribunal, quod consulere solet optimus Regius Hungariae et Boiohaemiae Princeps, Archi-Dux Auſtriae, Magnusque Etruriae Dux noster, *PETRVS LEOPOLDVS*) Caesar *FRANCISCVS* emi iussit Calendis Septembribus magni faciendam marinarum Plantarum collectionem, qua Pisani Lycei Museum auxit.... Praeterea Eques ipse *Bertolinius* eo anno ipso 1757 auctor fuit Caesari, ut in Pisano Gymnasio Cathedram Chemicam institueret. *Bertolinius* etenim, sagacissimus etiam ingeniorum cognitor, probandas maxime duxerat commendationes Chemiae Repurgatae, quas audierat ab acutissimo Philosopho Cremonensi, filio Patris in Burgundia nati, *Claudio Fromond*, Monacho Benedectino Camaldulensi, et alumno immortalis *Guidonis Grandii* popularis sui, contubernalisque, ac publico in Pisana Academia tunc Professore Physices (*f*). Quam ob suasionem, summis laudibus efferendam, *FRANCISCVS*, commoveri solitus etiam voluptate, quae a felici natura bene-

Digitized by Google

benefica gigni solet, sexto Idus Octobres illius anni 1757 Cathedram Chemicam in Pisano Gymnasio inſtituit, eamque contulit Doctiſsimo *Antonio Nicolao Branchi de Turri* Florentino, qui die prima mensis Iunii anni 1748 fuerat Philoſophicam et Medicam laurum consequutus a Medico Pisani Lycei Collegio. *Branchius* Inſtrumenta Chemica, a ſe ipso oblata dudum, Pisanae tradidit Academiae, atque Caesareis obsequutus mandatis, praeter theoreticas Lectiones Chemicas (quae ceterum usque a *Petri Nati* temporibus intermissae fuerant,) strenue praebuit Experimenta Chemica, atque Oſtensiones Chemicas alias. Definitus etiam fuit pro hiſce annuus erogandorum nummorum numerus, et pro loco, qui *Branchii* inſtrumenta, novaque Pisani Lycei, ad Chemicos Processus contineret, et qui novum Elaboratorium Chemicum evaderet, ubi nempe Chemici Processus fierent. Ita et decretus fuit centuſsium numerus pro annua remuneratione Pharmacopolae Noſocomeii, qui Chemicis Proceſſibus *Branchii* praeſto esset, opemque ferret. *Branchius* praeterea noviſsimum paullatim, atque concinnum, methodicumque Museum Chemicum confecit, e quamplurium analysi praecipue Corporum conflatum, a quibus tria Naturae, ut vocant, Regna fiunt, tum etiam e Corporibus ipsis Naturae simplicibus, Metallis scilicet, eorum Matricibus, Lapidibus, Terris, Salibus, &c.. Illis autem Chemicis Processibus, Experimentis, atque Oſtenſionibus, ut et Museo Chemico, interesse solet Adoleſcentium, cultorumque Virorum frequentia. Hoc anno 1777 tradidit in Lyceo analyticam Vegetabilium et ſubſtantiarum Animalium Hiſtoriam, domi vero eamdem expoſuit, atque Experimentis demonſtravit.

Anno 1767 *Angelus Atilius Tilli* curavit, ut Hypocauſtum vetus in eo meliorem redigeretur formam, nempe Hy-

Hypocauſti cavitas altior fieret ad numerosiores ulnas, quum ipſum evasisset impar continendis illis potissimum Plantis, *Musae* dictis, aliisque. Ideo obtinuit, ut in eodem Hypocauſto colerentur inde eo commodius Plantae etiam Ananas, Arundines Sacchari, aliaeque Plantae exoticae, e quibus numerosiores eae Plantae ipsius speciei, nominatae *Musa Sapientum Linnaei*, dictaeque interdum *Ficus Adami*: quae species oritur apud Indos, suisque fructibus, praeseferentibus Cucumeris formam, suppeditat gratum illis Populis cibum, atque deprehenditur esse peculiaris nedum propter maximam foliorum valde virentium magnitudinem, maiorem magnitudine foliorum cuiusvis alius Plantae huc usque cognitae, verum etiam propter suae mortis modum, quam subit, poſtquam suos ediderit fructus, atque e radicibus unum saltem germen produxerit.

Quamquam in Pisano ipso Vireto Botanico *Musa Sapientum* exculta alias fuisset, numquam tamen ipsa arbor ibidem ante annum 1769 eduxerat fructus, eo quod Hypocauſto deſtitueretur ita alto, ut in eodem maximis suis foliis ad maiorem posset se se extendere altitudinem. Illo anno 1769 mense Iulio *Musa Sapientum* florere in Pisano Vireto Botanico incepit, et per *Angeli Atilii* vigilantiam fructus ad perfectam tulit maturitatem. Illo ipso anno sub initium Decembris mensis fructus huiusmodi a Planta avulsi fuerunt, exhibitique Regio Archi-Duci, Dominoque Doctiſſimo *PETRO LEOPOLDO*, una cum multis Radicibus, quae vocantur *Batatas*, cultis quoque in eodem Pisano Vireto Botanico, quae multo meliores sunt (quod ad saporem et ad odorem pertinet) Radicibus aliis analogis, quae paucis abhinc annis ab aliquot Etruriae locis perhibentur. Porro species Plantae edentis Radices, nominatas *Batatas*,

in

in Piſano Vireto Botanico Academico prorſus differt (*g*). *Muſam Sapientum*, huiusque fructus libentiſsime vidit Piſis *PETRVS LEOPOLDVS*, ut et exoticas alias Plantas, quae in eodem Hypocauſto aluntur.

Anno 1772 duo nove aedificata fuere cubicula ad Tepidarii uſum prope Hypocauſtum, atque multo amplior reddita fuit Platea, ſita ante Hypocauſtum, et ante ipſa Tepidaria, ut per haec Plantae exoticae a magna vi frigoris deſtrui nequeant.

Anno 1775 *Iohannes Laurentius Tilli*, filius *Angeli Atilii*, et Philoſophiae ac Medicinae Doctor, permiſsione Regia incepit in Genitoris auxilium domeſticas Lectiones de Naturae Rebus, ſed de Botanica praeſerſim ſcientia, ſcribere, et publice recitare, atque oſtendere Foſſilia Muſei corpora, ſuper ipſis ſcitas explicationes pronunciando, ediditque in lucem Obſervata Meteorologica, praebiturus eo maiora ingenii, atque doctrinae ſpecimina.

Anno 1776 idem *Iohannes Laurentius* auxit Muſeum Lycei Piſani, ornavitque emortuis multis Piſcibus, Avibus, et parvis aliquot Animantibus quadrupedibus, quorum cadavera modo parum noto ſervare ad annos in externa vitae figura, apprime novit ita, ut Piſces, gypſeo ſucco imbuti, ſuis ſquamis coloribusque pollere diu perſtent; ſicuti et Aves, ope aromatum, ſuis ne hilum quidem plumis dimminutae, ſeu indecores eſse deprehenduntur, ut et parva cetera illa Animalia alia. Proſequitur in ipſa diverſorum aliorum cadaverum eiusmodi praeſervatione, pro quorum collocatione Cuſtodiaria nova fient quam primum.

Hoc eodem anno 1777 *Angelus Atilius Tilli* Floram Piſanam ſcribere cogitat, atque edere ad maius affluentium Diſcipulorum commodum, et ad maius ſui ipſius, ac Piſani Vireti Botanici Academici decus. Cui commo-

Digitized by Google

do et decori accedere praeterea solet pecuniarium novum incrementum annuum, quo Prudentissimus, idemque Munificus, *PETRVS LEOPOLDVS* aſſuevit cumulare Pisani Lycei Professores, propriis inclareſcentes Operibus in lucem editis, ut etiam propter id genus praemium honeſtissima inter Ipsos vigeat aemulatio ad Opera scribenda, atque evulganda, quae Virorum intelligentium quidem, sed et aequorum, plausus mereantur.

Interea Pisano Vireto Botanico Academico (typis obiter celebrato a me ipso usque triginta abhinc annis (*b*), gratulari subeſt, eo quod nactum sit aetate noſtra litteratissimum re vera, et liberalissimum non modo Mecoenatem, sed etiam Dominum, *PETRVM PEOPOLDVM, DIVIS* ortum bonis, Gentiumque Etruscarum Cuſtodem, qui Viretum ipsum, Regia sua munificentia ſuſtentatum, adiit pluries. Etenim solet Regius Ipsius animus, qui rarissimo mirabilique exemplo Philoſophiam Naturae callet, eamque habet pto deliciarum parte, magnus liberalium Artium Promotot, et progreſsibus scientiarum addictus, et delectari solitus erudito etiam luxu in Florentinis Regiis suis aedibus, favere (*i*) Botanicae pariter scientiae ſtudiis, atque progressibus, et Pisano huic Vireto Botanico Academico, per quod praecipue innumeri Viri Hiſtoriam Naturae didicerunt vel proxime, vel remote. Hinc sperandum, hanc quoque magni momenti partem Physicae eo magis etiam in dies Regio et beneficentissimo Principis animo, et Paterna, qua solet, favoris cura, maius in dies, atque inſigne, augmentum accepturam in Pisano pariter hoc ipso Botanico Vireto Academico, cuius praeclara iam adeo conditio praeſens debetur etiam sollicitudini, qua praeſtitere foventes eiusmodi vota Principis Sapientes Viri Amplissimi, scilicet consiliis fere vicennalibus *Antonius Mormoraius* Nobilis Flo-

Digitized by Google

Florentinus Iuriſconſultus Doctiſſimus, et Graviſſimus Regiae Celſitudinis Auditor, ac Praeſes in iis, quae ad Equeſtrem Ordinem Stephanianum et ad Piſanam Florentinamque Academias pertinent: atque una decennalibus fere conſiliis Reverendiſſimus et Doctiſſimus *Angelus Fabronius* Nobilis Piſtorienſis, Academiae Piſanae et Vireti eiusdem Curator, ac ipſius Equeſtris Ordinis Eques XIIvir, Prior, atque Praeſul mitratus.

ADNOTATIONES AD CAPVT XX.

(*a*) *Petrus Antonius Michelius* Florentinus, qui celebratiſſimo acumine in critica Herbariae Rei exercenda praeſtabat, per intevalla ſuorum itinerum Botanicorum modo Piſas, modo Florentiam, migrabat ita, ut colloquia illa crebra inter *Angelum Atilium Tilli*, et *Michelium* intelligenda ſint quae circumſtantiis hujuſmodi reſponderent, praeter colloquia per epiſtolas, quae intercedebant abſentiarum decurſibus. *Michelius* ipſe octavo die ſupra decimum menſis Octobris anni 1706, in quo ad aetatem annorum 27 provectus erat, renunciatus fuit Piſani Lycei Botanicus, et adiutor Praefecti *Michaëlis Angeli Tilli*, ut Piſanum Viretum peregrinis Plantis fere cumularet, exoticarumque Plantarum ſeminibus ditaret, ſtatuto ſtipendio annuorum nummorum LXXX, qui ſingulis annis e Piſani Lycei aerario perſolvebantur. Anno 1709 *Michelii* ſtipendium auctum fuit nummis annuis 25 in Regia Seſſione, fieri ſolita quotannis ſuper Lycei Piſani negotiis. Anno autem 1714 *COSMAS III* ſponte ſtipendium *Michelio* duplicavit, ex eodem Piſani Lycei aerario erogandum. Anni vero praeſertim 1723 Octobris die trigeſima proſequutus fuit *Michelium* novo ſtipendii incremento annuo. Facta ab *Michelio*, magnis etiam Piſani Lycei ſumtibus, Botanica itine-

ra annis 1710 , 1712, 1713, 1722, et annis imperii *IOHANNIS GASTONIS* (qui et Ipse Hiſtoriam Naturae adamabat eximie) 1724, 1725, 1728, 1729, 1730, 1733, & 1736 poſtremo, ut rariora Naturae corpora colligeret, sed potissimum Res ad Botanicen spectantes afferret, recensita fuere a Praeclarissimo *Fabronio*, et Clarissimo *Targionio Tozzettio*. Hic cum suis adnotationibus Hiſtoriam illius Itineris, facti a *Machelio* anno 1733 in variis ditionis Senensis locis, scriptam a *Michelio* ipso, typis edidit nuperrime in nono, et in decimo, suarum analogarum Historiarum, seu Descriptionum doctissimarum tomis. Quibus omnibus Itineribus *Michelius* examinando nedum ſingulares magis Plantas, verum etiam Montes, Fodinas, Lapides, et Terras, perveſtigavit in primis Italiam fere omnem, et longa ac difficili peregrinatione suscepta in diſſitas Regiones delatus fuit, ut penitiores Animantium, Metallorum, aliorumque Fossilium, ac praesertim Herbariae notitias sibi compararet. Ex illis Itineribus immenſa rariorum Plantarum messe collecta, Pisanum quoque Viretum locupletavit pluries, docens etiam noſtratum Plantarum cognoſcendarum modos. Praecipue anno 1724 *Michelius* a *Vaillantio* plurium exoticarum Plantarum semina, annis vero 1725 et 1726 a Cl. *Boërhaave*, accepit, adlatis etiam novis aliis, elegantissimisque Plantis ab Orientali India, ab AEgypto, ab Brasilia, ab Goa, ut Pisanum Viretum honorifice comparari cum celebrioribus Botanicis Europae Viretis, atque splendidioribus, posset.

(*b*) *Angelus Atilius Tilli* usque anno 1737 ad Viros Botanicophilos semina exoticarum Plantarum mittebat.

(*c*) Quod pertinet ad nomen *Monte della Serra*, utilis epiſtola Cl. *Iohannis Alphonsi Borellii*, mox hic adferenda, quamdam lucem affundit dubio, quod Cl. *Tar-*

gie-

gionius Tozzettius anno 1773 exposuit in 99ª pagina quinti *Relationum Itinerum per Etruriam factorum* ab Ipso tomi, in qua aperuit, sibi ignotum esse *Montem Serrae*, nominatum a Cl. *Soldanio*, Sacri Ordinis Vallis Vmbrosae Monacho Scriptore, in textu suae Hiſtoriae Passiniani, relato ibidem ab ipſo *Targionio*. Hic eminentiorum Pisanorum Montium Montem nominari *il Cascetto* scripserat pagina 381 primi ipsarum suarum Relationum tomi, in qua (ut et in pagina 129 secundi tomi earumdem) nominavit quidem eminentiora Pisanorum Montium culmina, verum ibi neutiquam Pisanum *Montem Serrae* nominavit. Quod ad illam maximam incommodorum acceſſionem spectat, quibus Aſtronomicae practicae Observationes a Mathematicis Lycei Pisani Viris fiebant quondam, legere iuvat in secundo tomo ex utilissimis Epiſtolis, factis publici iuris anno 1775 *Lettere Inedite di Vomini Illustri* a Praeclarissimo *Fabronio*, epiſtolam praecitatam, scriptam Pisis die 22 Aprilis anni 1662 a *Borellio* ad Doctiſſimum Principem *LEOPOLDVM MEDICEM*, quae se habet, scilicet
„Benchè venerdì mattina il tempo foſſe a Pisa aſſai turbato
„e piovoso, cominciò a rischiararsi dopo il mezzo giorno
„in maniera, che mi diede speranza di poter vedere il
„Cielo sereno, e però mi condussi al *Monte della Serra*,
„eminente sopra tutti gli altri Monti, che ſtanno al
„contorno di Pisa, con i Sigg. Cavalieri *Maffei*, e *Fi-*
„*lippo Guidi* miei Scolari, e col *Gaeta*. E perchè arri-
„vai tardi, e male trattato dalla freddezza di quel luo-
„go, che mi faceva tremare, benchè io fussi abbondan-
„temente coperto da' panni, non potei per quella
„sera salire un' altro miglio, che vi mancava per con-
„durmi alla ſommità della Croce, ove vi è la conserva
„della neve, dal qual luogo si scopre la Marina Occi-
„dentale. Fermatomi adunque in caſa del Fattore, detto

Capo-

„*Capovano*, il quale amorevolmente mi accolſe, mi levai „la mattina del Sabato tre ore avanti, che ſi levaſſe „il Sole, e mi condusſi alla ſommità, detta *della Croce*, „la quale trovai eſſer coperta da una nebbia a guiſa di „cappello, la quale umettava il terreno, e i noſtri abiti „con gocciole minutiſſime, e copioſe; e penſando che „ella ſi doveſſe dileguare, ci ricoverammo in certa Ca- „ſetta, poſta accanto dalla conſerva della neve; e quivi „riſtorati da un gran fuoco, dopo avere aſpettato un' „ora in vano, riſolvei di ritornare alla ſteſſa abitazione „del Capovano, da dove, quando io mi partii, ſi vede- „vano buona parte delle Stelle maggiori con Giove „e Saturno, i quali erano vicini al Meridiano. Ed in „queſto veramente trovai vero il detto di quel Capova- „no, che quella nuvola, o nebbia, doveva perſeverare „ſtabile nella cima di quel monte, e che tornando io „giù avrei veduto qualche ſerenità maggiore; e così „appunto ſegui; ed avrei avuto la ſoddisfazione, ch' io „tanto deſideravo, ſe nell' orizonte Orientale non aveſſe „ riſorto una gran nuvola, la quale andò ſempre cre- „ſcendo fino al naſcere del Sole. Queſto medeſimo infor- „tunio mi ſucceſſe la ſera del ſabato, e anche queſta „mattina. Trovo poi, che il Sig. *Marchetti* „(qui *Marchettus*, *Alexander*, alumnus *Borelii* ipſius, illo iam anno 1662 Extraordinarius Philoſophiae Profeſſor in Lyceo Piſano florebat, creatus primum Profeſſor Publicus Dialecticae anno 1659) „ha avuto la ſteſſa diſgrazia, non „avendo potuto far niuna delle quattro Oſſervazioni, „che io avevo notato. Ora, ſe le nuvole non hanno „invidiato ai Sigg. *Viviani*, e *Magalotti* il diletto di „queſta rara Oſſervazione, ſupplico V. A. S., che me „lo faccia avviſato, come anche, ſe dalla Gorgona, e da „Roma è riuſcito vederla. Il Teleſcopio di V. A. S. di

„tre

„ tre braccia, che mi rimase, lo consegnerò al Serenis. „Sig. Cardinale; e a V. A. S. fo umilissima riverenza„.

(*d*) Piſana Specula Academica duobus inſtructa eſt Horologiis automatis pendulo munitis, a quibus secunda horarum momenta indicantur exactiſſime, artifice *Georg o Grahamo* Londinensi. Inſtructa eſt etiam Quadrantibus duobus aurichalcicis, fabricatis Londini ab accuratiſsimis Anglis *Ionathano* et *Hieremia*, *Siſson*, quorum Quadrantum alter radio hexapedali ad murum lapideum, iuxta Meridiani ductum, excitatum affixus ferramentis et cochleis; alter vero mobilis radio tripedali, commode huc illuc transferri solitus, qui circa axem horizonti parallelum verti poteſt. Inſtructa eſt pariter Telescopiis eximiis, tum dioptricis, tum catoptricis; praecipue Teleſcopio sex pedum Anglicorum longitudine, et altero prae ceteris excellenti pedum 25 longitudine; elaborato ab *Ioſepho Campano*; Telescopio catoptrico *Gregoriano* quinque pedum longitudine, imposito machinae *parallacticae*; Telescopio *Newtoniano* sex pedum longitudine, ſtructo ab optico Anglo *Hearnio*; Micrometro iuxta Viri Celeberrimi *Iacobi Bradlaei* monita facto a *Siſsoniis*, &c.. Anno autem 1770 praelaudati Cl. *Thomae Perellii* (omnigena doctrina atque eruditione praediti, et olim usi magiſtro immortali *Guidone Grandio*, cui erat ante alios dilectus alumnos) adiutor creatus fuit primum Cl. *Ioſephus Antonius Slop de Cadenberg* Tridentinus, I. V. D., nempe Extraordinarius in Piſana Academia Publicus Aſtronomiae Professor, qui Aſtronomicas Lectiones tradit e suggeſto, domi exponit Inſtitutiones Aſtronomicas, in Specula vero assiduas Observationes Aſtronomicas praeſtat, quas in publicam lucem edere assuevit, et mittere ad suos amicos, aliarum praecipue Academiarum Europae Profeſſores Aſtronomiae, magni nominis, doctrinaeque.

(*e*)

Digitized by Google

(*e*) Cl. *Caroli Guadagnii* summae in Machinis ad Expementa Physica tractandis peritiae fama ad oras longinquas diffusa fuit, etiam quia Ipse plures identidem de Experimentis Physicis libros perscripsit, evulgavitque, ut *Specimen Experimentorum Naturalium, quae singulis annis in Illustri Pisana Academia exhibere solet &c. Pisis Anno* 1764, ut et Epistolam *Sopra una nuova Struttura d' un Barometro Portatile. In Pisa l' anno* 1767, similibusque typis *Corso di Fisica Esperimentale. In Pisa* 1770.

(*f*) *Claudius Fromond*, licet quandoque indulsisse imaginationis illusionibus insimulatus fuerit, tamen summa praestabat sagacitate, et criterio, atque assidua potiorum Scriptorum de Physicis Rebus lecione, et Physicis Experimentis. Ipse edoctus praecipue ab *Boylei*, *Hombergii*, *Boërhaavii*, atque *Halesii* Operibus editis, probe noverat, studium Repurgatae Chemiae utilissimum esse, non adeo quia sperari a Chemia debeant plurima salutifera medicamenta, de quibus sibi blandiri assueverunt Avi, quam quia per Chemiam materies in artium subsidium eliciantur, et quia Chemia sit Physicae Experimentalis pars amplissima, etsi aliquando minus tuta, quod ad detegenda Rerum Naturae elementa spectat. Eoque magis ea ipse novisset idem *Claudius* in hodierna maxima Repurgatae Chemiae luce, de qua optime meriti sunt Clarissimi *Meyerus*, *Spielmannus*, *Pottus*, *Macquerus*, *Lavoisierus*, *Bauméus*, *Blackius*, *Pringleus*, *Gaberus*, *Macbridius*, potissimum vero *Priestleyus*, qui prope diem magna sua inventa Chemica pansurus est. Noverat etiam *Fromondus*, studia Chemiea esse quoque utilissima, quia ab ipsis haud raro cogitationes suppeditantur, quarum adplicatione feliciter explicantur magna aliqua Naturae phaenomena. Ipse propriis Experimentis docuit, theoreticam Chemiam, ab Experimentali Chemia

mia desumtam, inservire ad suppeditandam plurium effectuum atmosphaerae, ac meteororum explicationem. Id videre eſt prae ceteris sub XXIII. numero probatissimi libri, ab ipso *Fromondo* scripti, editique typis anno 1745, cuius libri titulus eſt *Riſpoſta Apologetica*. Modus efformationis Pluviae explicatur ibi felicissime per *Claudii Fromondi* animadversiones, repetitas ab mutua exhalationum terreſtrium et aëris attractione, propter quam aquei vapores, quos continebat aër, deseruntur ab aëre, atque ita per Chemicam veluti praecipitationem, ut vocant, gignunt Pluviam. Hasce animadverſiones *Fromondi* retulit Cl. *Targionius Tozzettius* in paginis 361, et 362 primi suorum Hodoeporicorum tomi. Clarissimus vero *Franciscus Vaccà Berlinghieri*, Philosophiae et Medicinae Doctor, et publicus in hac Pisana Academia Professor Chirurgiae theoreticae, ipsiusque *Fromondi* alumnus doctissimus, communicavit nobiscum, etiam a Cl.^me Academiae MontisPessulani Scriptore Physico *le Roi* in Regiae Parisiensis Scientiarum Academiae Actis anni 1751. laudatam fuisse partim illam *Fromondi* theoriam de Pluvia, desumtam a Chemia, de qua Chemia in huius libri paginis 92.^a, 112.^a, et in aliis obiter egimus.

(g) Radices *Batatas*, quae paucis abhinc annis ab aliquot Etruriae locis perhibentur, sunt Radices *Solani tuberoſi esculenti Casparis Bauhini Pinac.* 167, seu *Solani tuberoſi Linnaei Spec. Plantarum* 265. Ea Planta in Americanis oritur Insulis vocatis *Antille*, vulgoque nominatur *Patata d' Irlanda*, o *d' Inghilterra*, quia ibidem diligenter colitur, Radice eius pluris facta, tamquam mercis specie, ita ut anno 1740 illis Radicibus sese nutrierint plures in Hibernia Familiae, quae propter famem periissent, nisi Radices huiusmodi praeservassent, a frigore illaesas de more. Radices *Batatas* Pisani Vireti

Botanici sunt Radices *Convolvuli Camotes Hispanorum Clusii*, seu *Convolvuli Batatas Linnaei Spec. Plantarum* 220. Planta vero haec oritur in Indiis, e quibus in Hispanias, et in Lusitaniam adlata fuit, ipsaeque Radices gratum excitant saporem, sapori Caſtanearum quodammodo similem; neque frigori resiſtunt, ideoque rariores sunt Solani tuberosi Radicibus, et in Botanicis tantummodo Viretis inveniri solent. *Franciscus Redius* die 23 mensis Ianuarii anni 1667 scripsit Pisis ad praecitatum *Petrum Nati*, hasce Radices *Batatas*, seu *Patatas*, tunc „altri „da un certo sapore, che anno simile alla Caſtagna, le „riducono al *Bulbocaſtanum*„.

(*b*) In mea Latina Diſſertatione, scripta Florentiae anno 1747 *De Hodierna Etrusca Clinice*, et Brixianis typis illo ipso anno edita in magno Opere, inscripto *Medicina Europae a Sapientibus illuſtrata &c.* Quam Dissertationem usque anno 1751 comiter memoravit Cl. *Hallerus* in variis ſuarum *Accessionum ad Methodum Studii Medici Boërhaavianam* locis.

(*i*) Quoniam Regius *PETRVS LEOPOLDVS* favere solet studiis atque progressibus Botanicae etiam Scientiae, et aliarum Hiſtoriae Naturae partium; continua, ac eo maior in dies, fieri poterit quae vetuſtiſſima viguit in Etruscis Hominibus peritia Historiae Naturae, sed potissimum peritia Botanices, cuius amorem *Michelius* praesertim in prope innumeris Etruscis Viris excitavit, aluitque ita, ut etiam Celeberrima Florentina Societas Botanica *Michelio* in primis tribuenda ſit. E Viris illis innumeris Clarissimi plures ea de caussa nominandi ſaltem hic essent, sed praecipue nominari hic ſaltem merentur qui a Cl. *Hallero* in nupera sua *Bibliotheca Botanica* commendati ideo fuere Clar.mi *Targionius Tozzettius*, *Antonius Matani*, et *Petrus Rossi*, Academico Professorio mu-

Digitized by Google

munere publico inservientes, et editorum Operum ad Naturae Hiſtoriam pertinentium Scriptores, ut et *Xaverius Manetti*, qui Cl. Philosophiae et Medicinae Doctor Florentinus, poſtremo annis 1745, et 1746, ex mandato Auguſto Etruriam pro Botanica peragravit, sicuti itidem fient Regio clementissimo patrocinio aliae in dies Virorum, doctrina et diligenti observatione praeſtantium, peregrinationes, seu itinera Botanica. Quam ob frequentiam atque familiaritatem culturae Scientiarum, praesertim eiusmodi, in Etruria, aliqui etiam externi Viri Nobiles, ac praeclari, qui Etruriam iamdiu incolunt, peculiarissimo capti fuere amore erga Hiſtoriae Naturae Studia, quos inter spectandissimos Viros, dudum excolentes, ac ita promoventes ſtudia eadem, sibique comparare solitos volumina quaeque digniora, etiam ad Naturae Hiſtoriam spectantia, celebrandi sunt Nobiles Doctissimi et Gravissimi Viri Fratres *Bricbieri Columbi*, Iurisconsulti Auditores Regii Hungariae et Boiohaemiae Principis, Archi-Ducis Auſtriae, Magnique Etruriae Ducis noſtri, scilicet *Dominicus* Auditor Fiscalis Consiliarius, et *Iohannes Benedictus* Supremi Magiſtratus Auditor, habentes in deliciis uterque propriam Bibliothecam aeſtimabilioribus Operibus Scriptorum etiam de Philosophia Naturae munire magnis impensis, atque in dies nova Opera huiusmodi conquirere.

Digitized by Google

TABVLA CHRONOLOGICA

Digitized by Google

A

PRAEFECTI V

BOTANICI

Anni Epochae Promotion

1544----I. *Lucas Ghin*

1554---II. *Andreas C*

1558---III. *Aloysius L*

. . . .

. . . .

1583---IV. *Laurentius*

1592·---V. *Ioseph Ben*

1596---VI. *Polydorus*

1596--VII. *Franciscus*

. . . .

. . . .

. . . .

1613--VIII. *Iohannes I*

1614---IX. *Dominicus*

1614----X. *Iacobus M*

1617---XI. *Pancratiu*

1626--XII. *Matthaeu*

1631--XIII. *Hyacinthu*

1634--XIV. *Dionysius*

1636---XV. *Claudius*

1637--XVI. *Iohannes*

: : : :

1641--XVII. *Thomas I*

. . . .

1672-XVIII. *Petrus N*

1685-- XIX. *Michaël*

. . . .

1740---XX. *Angelus*

PRAEFECTI ELABORATORII CHEMICI

qui Praefecti docuerunt ibidem publice Chemiam, sed in primis Medicinam Chemicam.

Anni Epochae Promotionis Virorūm respectivor.

1596----I. *Franciscus Malocchius* Conditor.

. . . .

. . . .

. . . .

1613---II. *Iohannes Rocchi.*

1614---III. *Dominicus Vigna.*

1614--IV. *Iohannes Macolo*, frater *Iacobi.*

1617---V. *Pancratius Mazzanga.*

1626---VI. *Matthaeus Pandolphini*, qui partem Elaboratorii anno 1626 mutavit in Pharmacopoeion, nominatum inde *la Fonderìa del Giardino.*

1631--VII. *Philippus del Buono.*

. . . .

1639-VIII. *Iohannes Tellierus.*

1641---IX. *Thomas Bellucci*, cuius emortuali anno 1672 cessasse penitus videtur Elaboratorii Chemici pars reliqua, et Pharmacopoeion.

1672---X. *Petrus Nati*, qui e sola Lycei Cathedra Lectiones Chemicas tradidit usque ad annum 1684.

1757---XI. *Antonius Nicolaus Branchi a Turre*, cui collata fuit illo anno 1757 Cathedra ChemiaeRepurgatae, instituta tunc nove cum novissimo Elaboratorio Chemico.

oc primo tumo.

Digitized by Google

Digitized by Google

005663295

Digitized by Google